


ADOREA MARIANA

SIVE

Usitatum Ecclesiæ canticum,

SALVE REGINA

In conceptus & affectus, piâ animi prolusione, effiguratum & ampliatum,

Auctore

A.R.P. STANISLAO SZCZYGIELSKI

Abbate Trocensi Ordinis Sancti Benedicti.

superiorum permissu.

VILNÆ Typis Acad: Soc: IESV.

M. DC. LXX. VI.

MARIÆ

INtemeratæ Virgini, Matri Vitæ, Viventium protoplastæ, Incomprehensibilis Triados spiranti imagini,

Æterni Patris compendiosæ definitioni,

Naturalis Unigeniti, Filiæ, sponsæ, Genitrici,

Spiritûs sancti Vnicæ, Columbæ, dilectæ.

Serpentini Cherub victrici,

Sæculorum negotio,

Prophetarum supplemento.

Symbolorum summæ,

Scripturarum epilogo,

Reparationis humanæ còóperatrici,

Reorum pro columitate stanti Aduocatæ. Be-

Benedictæ inter mulieres Dei-
paræ Virgini,

Omnis Gratiæ, & Benedictio-
nis largitrici,

Soſpitatrici ſuæ, & unicæ poſt
Deum ſpei,

ADOREAM Hanc à ſe humili-
ter exhibitam,

ejuſdem Auguſtiſſimæ tranſcri-
ptam Majeſtati

eidem ſupplex offert,

Dicat, Conſecratque

F. Staniſlaus

Aſceta MARIANO-BENEDI-
CTINUS



Illmo & Rmo Domino,

D. NICOLAO STEPHANO PAC

Episcopo Vilnen:
Senatûs Litvaniæ Primati,
SSmi D.N. Clement: PP. X.
Prælato Domestico, & Vtriusq;
signaturæ Referendario. &c.
F. Stanislaus Szczygielski
Abbas Trocensis, debitum
cultum & devotas orationes.


Dorcam Marianam, Deiparæ Virgini, per me, Sacram, ad Te quoq, Illustrissime & Reverendissime Domine

 mine

mine ex animo fero. Nulli alteri æquiùs offerendam ratus, quàm Tibi Antiſtiti meo, qui Sanctiſſimam Dei Matrem, præ innumeris alijs in Mag. Duc. Lith. Heroibus, verâ & ſolidâ religione colis & ornas. Evidens facti tui & animi devoti habemus documentum, dum ſupra Tua Gentilitia Lilia, Sacroſanctum MARIÆ nomen, grandioribus notis, in ipſo culmine Armorum & ſtemmatis Tui expreſſum, oculis legimus, & animo omnes veneramur. Stabis, crede mihi, ſub hoc Mariano clypeo, pluſquám Achilles ſub Palladis ægide, impenetrabilis, plusquàm Hercules inſuperabilis: cumque Honori Matris Dei, ampliando taliter incumbis,

cumbis,ut & Te Tuaq; Natalitia decora libẽs submittas,fies:sicuti revera es, longè Antistitum omnium celeberrimus. Nullius itaque alterius manui, magis ex æquo committendam esse censui, istam,qualis qualis est,meam Adoream,quam Tuæ,in testimonium & Tuæ ergà Divam pietatis; & in argumentum meæ erga T.Ill. Celsit. dovotæ servitutis. Quare à Tua Illima Celsit. primùm peto ut benigno oculo hos meos exiguos in Dei Matre efferendâ conatus, digneris aspicere, tum ut Staro Trocense Monasterium Tibi pridem deditissimum, eadem beneficentiâ, quâ olim Palatinus Trocensis existens cumulâsti,frequenti præsentia honorâsti, patrocinio

trocinio iuviſti, eodem proſequi animi ſtudio haud prætermittas: ut hoc antiquum & dirutum, priſcorum Ducum Lithvaniæ fortalitium, ſuâ uetuſtate obſitum, Tuo recenti adiutum favore, veterem ſitum detergat & ſenium deponat incultum, ac juventute Aquilæ renovetur.



Approbatio Censoris

ADoream hanc Marianam, sive usitatum Ecclesiæ Canticum SALVE REGINA in conceptus & affectus piâ animi prolusione, ab A. R. P. Stanislao Szczygielski, *Abbate Trocensi non minùs devotè, quàm doctè effiguratum & ampliatum, summâ cum animi mei affectione vidi, legiq́ʒ, & nihil in eo quòd Fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium esset, animadverti; quinimò plurima, quæ & eruditionem acuant, & devotionem in Lectoribus excitent, oculatè deprehendi. Dignùm proinde quod typis mandetur & lucem publicam aspiciat sincerè iudico, Vilnæ 2. Decembr: 1675.*

ALBERTVS MĘKALSKI
Soc: IESV. Theo: & I. C.
Doctor: ex Commissione Illmi
ac Rmi D. Loci Ordiń. Libror.
Censor.

Errores, qui irrepserunt, sic corrigantur.

In Prologq: *muniacen* lege *munimẽ*.
longè lege *longa*
Abanum lege *Alanum*
In Discur: Proœm. *fint* lege *sit*
Dubio III. *polytristor* lege *polyhistor*
In textu *Filij Evæ* secundo *ostendendum*, lege *ad ostendendum*
In Discur: finali *Angelorum* lege *Anglorum*
Velocior est nunquam, lege *velocior est non-nunquam*
Fugat lege *fugiat*
Locrici lege *Locrin*
Mariomystyges lege *Mariomastyges*

Ad Lectorem Parthenium, Proloquium.

STat per duodecim sæcula. (viginti vix desunt anni) sacra Divi Benedicti progenies, Ordoque Monasticus sub ejus Regulâ DEO militans Lector Humanissime. Stat adhuc ãnosa immota tamẽ, hæc nobilis arbor altasque ubique terrarum radices habet, Antiquiores quidem reperies alias Monasticæ Religionis plantas, Pachomio, Basilio, Hieronymo, Augustino debitas; nemo inficiatur, Sed Benedictina prima est, quam Apostolicæ confirmationis munimen roboravit: prima, quæ latiùs sese sub uno germine diffudit, ramisque ac propagine suâ ipsum propemodum orbem implevit. Hinc sub uno solis radio teste Magno Gregorio lib. 2. Dialog. totum mundum ob oculos suos collectũ Patriarcha Benedictus tanquam sui Iuris factum, conspexit, & longè ut aiunt,

manus traditione *possessionem orbis jam tum adiit Nempe in illâ divinâ luce mũdum vidit, non qualis est in se, immundum, sed in illo, quem ex ipso hausturus erat nitore, mundissimum. Vidit utique & prævidit, tot ex suo Magisterio millena Sanctorum germina, tot Apostolicæ sedis Sanctissimos Præsules, tot Ecclesiarum & Provinciarum Principes, tot Gentium Apostolos, Idolorum & Hæresum eversores, tot maximos Doctores, mundi lumina, ipsa summa Orbis Capita, uno sacro cucullo tegi; uno observantiæ Regularis & Sanctitatis splendore vestiri, Vidit, uno verbo, in semine suo omnes gentes, totum mundum Benedictum.*

Verum unde tanta BENEDICTO, & *Benedictinæ proli* Benedictio? *è cælo, quis nescit! à* Patre *luminum; à quo omne Donum perfectum: qui omnis Benedictionis fons & principium. ita est. Sed uti Fontes, per suos aquæductus derivantur, & per canales decurrunt; ita ut*

loqui-

loquitur Bernardus, per Aquæductum deſcendit vena illa Cæleſtis, Mariam indigitat, conſtitutam à DEO, Gratiæ & Benedictionis ſupernæ Matrem. Per hanc in BENEDICTVM primò, & hinc in ejus Filios derivatas Cæli Benedictiones meritò credimus; Per hanc BENEDICTAM INTER MVLIERES Divinarum Gratiarum theſaurariam. Legis latori noſtro RE ET NOMINE BENEDICTO, ejusque nepotibus tantam ubertatem cæleſtis proſperitatis, & fæcunditatem propagationis proveniſſe fatemur. Cur autem? niſi quia præcipua Mariani Cultûs argumenta, & in Parente noſtro Divo Benedicto, & in ſeris nepotibus ejus ſemper eluxêre: qui hanc cæli Terræque imperatricem Auguſtiſſimam, ſuamq; Tutelarem Maximam & optimam ſuo complexu ambire, ſuisque brachijs ſtringere ex integro corde ſemper ſtuduerunt. Sed ne in verbis totam rem ſtare autumet quis, Mariani cultûs pleniorem teſſeram damus.

BENEDICTVM *inter præcipuos* MARIÆ *cultores fuisse, ex paucis, disce Lector. Puer etiamnum, cum Eremum Sublacēsem peteret, Divæ Virginis Imaginem secum intulit: & incuriâ alioquin supellectile, inter chara & pretiosa cimmelia, imò semper ob oculos in veneratione habuit. Huic Parthenij Amoris symbolo junxit alterum, haud paulò celebrius Rosarij seu Psalterij Mariani usum, quem postea jam Pater & Auctor Monachorum inter suos primùm, passim deinde per illos in orbe vulgavit. Audi, quisquis dubitas, aut figmentum hoc putas B.*[m] *Allanum de Rupe, claram Divini verbi. & alteram, post Patriarcham Dominicum, Psalterij tubam. Is in sua Apologia, libro ab ipsâ Deiparâ approbato p. 2. c, 2; & 4. sic infit.* Sanctus Benedictus novi factus Instituti Patriarcha inclytus, cui ante diu insueverat, Psalterium MARIÆ, simul & inter suos, non tam præcepto ullo, quàm usu ipso in Sanctam consvetudinem introduxit.

duxit, quæ in religionem dein vertit ac insedit &c. *Plus idem p. 1. c. 8. dixerat.* Tanti Patris ab exemplo sacer mox chorus Fratrum universus, per Orbem latè circumtulit Psalterium. &c. *& ibidem memorabili dicto cõcludit:* Psalterij Mariani usu, suoque in Deiparam studio eum tam divinæ Monasticæ Institutionis Fundatorem & Avctorem fieri meruisse. *Ita Alanus. Quêis nihil. addimus: habemus quod volumus, sufficiat hic testis minimè suspectus, à partium studio alienissimus, omni exceptione major.* Nega, *si potes, Psalterij Mariani Coryphæũ, præcipuum Mariæ cultorem fuisse & â tam nobili* insitione Rosarij, *tam floridum* Religionis plantarium *meruisse.*

A Patre nunc ad Filios digredi liceat. Nullus *in anno mensis est, imò nullus dies in anno numeratur, qui non celebrem quempiam inter Divos* MARIÆ *clientem, unum vel plures ex Alumnis Divi Benedicti præsentet.* Ianuarius, *Amadeum* Episcopum, *Ildephonsum Ar-*

chiepiscopum &c. Februarius, *Stepha-
num Abbatem, Bonifacium Lausanen-
sem Episcopum. Petrum Damiani Car-
dinalem* &c. Martius, *Alfoldum schire-
burnensem Episcopum, Gregorium Ma-
gnum,* &c. Aprilis, *Bernardum Tole-
tanum, Anselmum Cantuariensem Ar-
chiepiscopos, Lanzonem monachum* &c.
Majus, *Brandanum Abbatem, vener.
Bedam* &c. Iunius, *Eberhardum salis-
burg, Episcop: Sigerium monachum* &c.
Iulius, Otthonem *Episcop. Christianum
monachum* &c. Augustus, *Wallenum
& Helsimum Abbates, Arnulphum
suessionensem Episcopum* &c. September,
*Gerardum Candiensem Episcopum. Ai-
chardum Abbatem* &c. October *Ful-
gentium Episc: Idam monialẽ,* &c. No-
vember, *Radbodum Ioscionem, Gosber-
tum monachos* &c, December, *Eligium
Episcopum, Dominicum Exiliensem Ab-
batem, Laurentium monachum* &c. *o-
mnes magnos* Magnæ *Matris pullos* ,&
eximio Illius Cultu conspicuos, mona-

chicæ

chicæ coronæ gemmas. Nec tamen hoc numero conclusos Deiparæ cultores Benedictinos existimes, longè plures illa numerat & in cælo jam sociatos deperit; Hos inter sunt Vrbanus II. Bonifacius IV, Gregorius VII. Gregorius, IX. Sanctissimi & Maximi Pontifices. Vterque Rupertus Salisburgensis & Tuitiensis. Adalbertus Gnesnensis, Edmundus Cantuariẽsis, Odilo Robertꝰ Bonitꝰ. Bernardus, Adrianus, Stephanus, Gostardus, pluresq; alij, quos, in digitos hic mittere longum foret. Nec infæcundior Mariani germinis alter sexus fuit, qui Gertrudes Mechtildes, Heduiges, Franciscas, Ioannas, Erentrudes, Ludgardes, Beatrices, protulit, & quas non alias? utrorumque longum Catalogum texunt scriptores Benedictini & in Menologijs, Fastisque Sanctorum recensent. Sed quid in singulis enumerandis occupamur? Integræ Congregationes sub Benedicti Regula institutæ, speciali titulo MARIÆ Sacratæ sunt: uti Montis

 Serrat

Serrati Camaldulensis. Cisterciensis, Mōtis Virginis, Olivetana, Fuliensis & aliæ, *in quibus quot Cænobia tot Virginis Sacraria, quot Religiosi, aut Religiosæ, tot proles Parthenia.*

Nec singularia singulorum, aut omnium in Mariam *merita, aut officia hic enumerare volumus: istud sanè non prætereundum, haud paucas Virginis Festivitates Benedictinis Auctoribus deberi.* Conceptionis *festo auctor est Virgineus Anselmus*; Præsentatio *Nicolao cuidā Abbati Gallo: festum* Expectationis Divini partûs, *in Hispaniâ usitatū, Divo Ildephonso originē debet*, Octava Assumptionis *Dominæ nostræ à Divo Leone IV*, Octava Nativitatis, *à Divo Innocētio IV. Benedictinis Pontificibus principiū habet. Deniq; festivitas* Sactorū Omniū *in honorem DEI Genitricis & Sanctorum Martyrum primitùs instituta, Divi Bonifacij IV. pijssimum inventum est.*

Quid si jam singulas sub Benedictino

Institu-

Instituto MARIÆ *consecratas sedes & Templa perambules? Orbem eadem facilitate peragrabis. instar omnium sint celeberrimæ Virginis Ædes,* Monserratensis *in Hispania,* Montis Virginis *in Italiâ,* Cisterciensis *in Gallia,* Einsedlensis *in Heluetia,* Cellensis *in Styria,* Todtmosia *sive* Pulchricollis *in Hercinia sylva,* Andecensis, Elderensis, Trainstaensis *in Bavaria, quibus meritò accensenda venit* Tuchoviensis *in Minori Polonia. In his nostrorum Monachorum Templis, non minùs quàm in cœlo, habitare cernitur Virginum Virgo, manumque tàm opitulatricem, quàm fautricem in filios Benedicti latè porrigit, & universos devotè occurrentes beneficijs innumeris cumulatissimos reddit.*

Facile ex his, puto, intelligis Parthenie Lector, *ex Mariani favoris & gratiæ affluxu, omnia fuisse & esse Benedictinorum incrementa, totumque ordinem, quidquid habet & potest boni, illi Matri debere, æquè, imò ampliùs, quã*

Patri

Patri Benedicto. *Quamobrem agnoscendo æternam & nunquam satis exolvendam à nobis benignissimæ Dei Matris, Benedictæ inter mulieres Gratiam & beneficentiam, Monastici Ordinis pientissimi præcessores, & professores, Majoresque nostri. miris eam semper prosecuti sunt affectibus, elogijs, multosque ob ejus gratiam evulgarunt libros, tractatus, hymnos altiorisque pöësis sacra dramata & carmina devotissima conscripserunt. Ex quibus unum, inter alia* SALVE REGINA *melitissimum & suavissimum canticum Divi Hermañi Monachi habetur, in quo excellentissimas dignitates pretiosissimæ Parentis* MARIÆ *Virginis ac prærogativas tam ex titulo Matris Dei, nunquam satis ab ullâ creaturâ explicando, refluentes redundantesque; quàm quòd ab eâ, incredibilia, infinita supra modum maxima reportemus omnes in horas singulas atque momenta, tàm in corpore quàm in anima, tàm in vitâ quàm in morte beneficia, præfatus Mo-*

nachus

nachus divinissimè suavissimeq; insinuat, Quod Canticum aliquibus discursibus amplificandum proposui, ut eâ saltem ratione, aliquod rependam obsequium, tantæ generis humani Benefactrici, munificentissimæque, Ordinis mei Patronæ, ac meæ furtunatæ sospitatrici, Unicæque post DEum spei. cui acceptum refero, quòd hactenus vivam & vitali perfruar aurâ; cujus quoque donum agnosco. quòd ad Regularem statum vocatus, adhuc à Divinâ patientiâ tolerer, & pœna arceatur à me, deturque mihi tempus pœnitendi & ut brevissimè dicam, quicquid accidit mihi boni, quicquid non accidit mali, Deiparæ favore beneficium in me immeritissimum collatum esse profiteor, & quoad vixero devoto pectore non ingratus semper profitebor. Quamquam verò non sim nescius, plerosque Auctores bonos in hoc Canticum SALVE, multa & bona scripsisse & benè, hos tamen ego à longè subsequi conatus sum, non assequi: nec alia scri

bere

bere volui, ſed aliter, nullo aliorum detrimento. Nam *& onerarias naves, quæque millenis mercibus refertæ hinc inde impelluntur, ſequuntur exiguæ quædam cymbulæ, idem ſecantes æquor. Et poſt opimam heroum meſſem, ſpecilegia faciunt egentiores: ſic & diverſos ſcriptores circa idem argumentum verſari non eſt ad inſipientiam illis, præſertim S. Auguſtino lib.* 1. *de Trinit: cap.* 3 *aſſerente,*
„ Vtile eſſe, plures à pluribus fieri libros,
„ diverſo ſtylo non diverſa fide, etiam de
„ quæſtionibus eiſdem, ut ad pluri-
„ mos res ipſa perveniat, ad ali-
„ os ſic, ad alios autem ſic.



DISCUR-



DISCURSUS PROÆMIALIS

De cultu Sanctiſſimæ Virgini, Deiparæ MARIÆ debito.

CVM ex communi Doctorum Eccleſiæ ſenſu, Honoris ac cultûs, qui Sanctis deferendus eſt, menſura & modus ex magnitudine Sanctitatis virtutum ac meritorum, accipienda ſint, hinc colligi poteſt, *Qualis honor & cultus Sanctiſſimæ Virgini debeatur*, cùm ejus Sanctitas, Virtus, ac Meritum ſupra omnes alios Sanctos longè ſuperemineat. Vt tamen certiùs & evidentiùs iſtud innoteſcat, aliquos *ſpeciales Sanctitatis & Excellentiæ titulos*, in Sanctiſſima Virgine hic adnotabimus, ex quibus inferre quivis poterit, quo religionis cultu proſequenda ſit. *Neque enim* (ut rectè dixit Mellifluus noſter Bernardus, epiſt. 174.)

174.) *Virgo Regia falso aut fucato eget honore, cum Veris honorum titulis & infulis dignitatum decorata sit.*

1. *Primus* vero Excellentiæ titulus ducitur ex singulari ejus Innocentiâ: quæ consistit in eo, quòd Sanctissima Virgo, privilegio speciali, nec ulli alteri Sanctorum unquam concesso, ab omni peccati, sive Originalis, sive Actualis labe prorsus immunis extitit,

Quòd nullum unquã peccatũ Actuale, ne quidẽ veniale cõmiserit, docet S. Thom. 3. p. quæst. 27. art. 4. Estq; cõmunis totius Ecclesiæ sensus, ut habetur in Concilio Tridẽtino sess. 6. c. 23. Huic etiam veritati suffragatur S. August. lib. de natura & grat. cap. 36. vbi dicit de Sanctissima Virgine MARIA loquens. *De quâ propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo mentionem.* Et S. noster Bernard: epist. 164. *Decuit Reginam Virginum, singulari privilegio Sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam.*

Quod autem etiam Originalis peccati maculam nunquam contraxerit: Probari potest, ex ijs omnibus scripturæ Sacræ locis, in quibus illius singularis & omnimoda puritas & Innocentia significatur. Vt cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non*

est in

est in te: atqui tota pulchra non esset nec maculæ omnis expers, si Originali peccato fædata fuisset. Ibidem vocatur. *Hortus conclusus, fons signatus*, & cap. 6. *Vna est columba mea: perfecta mea.* Item ex illis ad eandem Sanctissimam Virginem Angeli verbis, S: Lucæ, 1. *Ave gratiâ plena Dominus tecum. Quibus* (ut dicit S. August: serm: 11. in natali Domini) *ostendit ex integro iram primæ sententiæ exclusam, & plenam benedictionis gratiam restitutam.*

Probari etiam potest ex eo, quòd idē S. August. lib. 5. cont. Iulianum cap. 9 dicit, illum qui in ætate adultâ peccatum nullum commisit. nullum etiam in infantili contraxisse: Vnde sequitur, cùm ex eodem S. Augustino supra, Beatissima Virgo nullum in vitâ suâ peccatum commiserit, nullum etiam in origine suâ contraxisse. Pro quâ sententiâ validè se opponit Ordinis Benedictini Doctor S. Anselmus: lib. de conceptu Virginali cap. 18. *Decens erat ut Sanctissima Virgo eâ puritate niteret quâ maior sub DEO nequit intelligi.* Et idem primus Immaculatæ Conceptionis Marianæ assertor, in cap. 12. ad Cor. ait. *Omnes mortui sunt in peccatis, sive Originalibus, sive voluntate additis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei*, Et alius nostræ

quoque

quoque familiæ Monasticæ splendor Petrus Damiani serm. de assumpt. *Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit.*

Accedit authoritas Sixti IV. Summi Pontificis in Extrau. *Cum præexcelsa.* de reliq. & ven. Sanct. Vbi fideles ad celebrationem Immaculatæ Conceptionis Sanctissimæ Virginis (sic enim loquitur) etiam Indulgentiarum largitione invitat.

Et quamvis nihil adhuc ab Ecclesia super hac re definitum fuerit nec proinde censendus esset hæreticus, qui oppositum teneret ut expressè declarauit idem Sixtus IV. in Extrau: *Grave nimis*, quam renovavit Conc. Trident. sess. 5. Sententia tamen illa quæ asserit Sanctissimæ Virginis ab omni originali peccato exemptionem adeò vera est, ut Paulus V. oppositum asserere in Concionibus, lectionibus, aut alijs actibus publicis prohibuerit. Quam prohibitionem Gregorius XV eius successor, etiam ad privata colloquia & scripta extendit.

Quod si contrariæ opinionis Authores obijciant, ex nostrâ assertione inferri, Beatissimam Virginem à Christo Domino non fuisse redemptam; cum enim nullum unquam peccatum actuale aut originale incurrerit, videtur, quod Christi Domini redemptione

ptione non indiguerit. Quibus respondemus, illam indiguisse Christi Domini re- "
demptione, non quidem ut à peccato libe- "
raretur, sed ut à peccato præservaretur ac "
proinde illam excellentiori modo, præ om- "
nibus Adæ posteris, à Christo Domino fuisse redemptam. Cum enim ex modo conceptionis suæ, utpote, vera Adami filia, & ex eo viâ generationis ordinariâ, ortum ducens, peccatum originale contrahere deberet; Quòd illud non contraxit, Christo Redemptori debitrix fuit? cùm propter præ "
visa Christi merita, ab illo peccato penitus "
præservata fuerit.

II. *Secundus* Excellentiæ titulus ducitur ex perfectissima gratiarum omnium plenitudine, & eminentissima Sanctitate, quâ Virgo cæteros omnes Sanctos, tam Angelos, quàm homines longè superavit.

Constat 1. ex illis verbis, quibus ab Angelo dicta est, *Gratiâ plena:* & à Beata Elizabeth. *Benedicta tu inter mulieres.* item ex ijs, quæ de se ipsa Sanctissima Virgo dixit, *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.*

Constat 2. ex eo, quòd universa Ecclesia professa est in 7. Synodo generali Act: 5. his verbis: *Si quis non confitetur Sanctam semper Virginem* MARIAM *propriè*

 ac verè

ac verè DEI genitricem, sublimiorem esse omni visibili & invisibili creaturâ, anathema sit.

Accedunt plurima, eximia, & præclara Sanctissimæ Virginis elogia, à Sanctis Patribus prolata, quibus illius supra omnes Sanctos eminentiam singularem apertè testantur. Aliquot illustriora hic proferemus. Sanctus Epiphan. Serm. de laudibus DEIparæ, ipsam alloquens *Quid dicam*, inquit *aut quid proloquar, & quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem. Solo enim Deo excepto, cunctis alijs superior existit.* S. Ephrem orat. de laudibus ejusd. illam vocat: *Optimam, præcellentissimam, sublimiorem cælitibus honoratiorem Cherubim, Seraphim Sanctiorem, & incomparabiliter cunctis aliis supernis exercitibus superiorem.* S. Gregor: Neocæsar: hom: in Annuntiat B. Virg: sic, *MAria gratiâ plena dicitur, quod in illa totius gratiæ thesaurus reconderetur.* S. Ambros: in cap. 2 S. Lucæ, *Bene gratiâ plena dicitur: quæ sola gratiam: quam nulla alia meruerat, consecuta est ut, gratiæ repleatur authore.* S. Petrus Chrysolog. serm. 143 *Bene gratiâ plena, quia cæteris per partes tribuitur, Mariæ verò simul se totam infudit gratiæ plenitudo.* S. Damasc. 2. de Assumpt. Vocat illam, *Abyssum gratiæ & Sanctitatis.*

S. Chry-

S. Chrysost. orat in Hypapante *Mundi miraculum*. S. Anselm. lib. de excellentia Virgin. cap. 8. dicit, in beata Virgine fuisse *quandam immensitatem gratiæ & gloriæ*. Sanctus denique Gregor. Papa, explicans illa Verba Isaiæ 2. Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium. *Potest hujus montis nomine Beatissima semper Virgo Maria designari, mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit; an non mons sublimis Maria? quæ ut ad conceptionē Verbi æterni pertingeret meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit.*

Ex quibus Sancti Gregorij verbis colligitur, probabilissimum esse, quòd aliqui Doctores existimant, gratiam illam Sanctificantem, quæ Beatissimæ Virgini in primo instanti Conceptionis collata fuit, majorem ac pleniorem extitisse, gratiâ consummatâ cujuslibet etiam maximi Sancti.

Quod si tanta fuit Mariæ gratia in primo ingressu, quantam in progressu fuisse existimare debemus, cum præsertim nullū vel momentū vitæ otiosum in ea fuerit, fidelissimeq; ac perfectissimè gratijs acceptis coöperata sit.

III. *Tertius* Excellentiæ titulus desumitur ex dignitate Maternitatis Dei. Con-

ſtat enim illam eſſe verè ac propriè Dei Matrē, quia ſcilicet is, qui ex ea natus eſt, ſicut eſt verꝰ homo, ſic etiam verus Deus eſt, ut tenet Catholica fides: & proinde cum verus Deus ex ea natus ſit, hinc ſequitur illam eſſe veram Matrem DEI: & idcirco hanc in ea dignitatem univerſa Eccleſia agnovit, in Concilio Epheſino. Vbi Can. 1. anathema dicitur in eum qui Sanctam Virginem *Deigenitricem* eſſe non confitetur. Et in 5 Synodo generali Act. 4. idem anathema rurſus profertur in eum, qui Sanctam & glorioſam ſemper Virginem propriè & verè Genitricem DEI eſſe non confitetur.

Neque ſolùm beata Virgo, verè & propriè DEI Mater extitit, ſed præterea digniſſima fuit, quæ ad illam Maternitatem divinitus eligeretur: hancque proinde meritis ſuis, ſi non de condigno certè de congruo conſecuta eſt: ita S. Ambroſ. lib. 2. de Virg: *Maria*, inquit, *digna extitit, ex qua filius DEI naſceretur.* Et S. Hieron. in epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis: *Tāta*, inquit, *puritatis extitit Maria, vt Filii Dei Mater effici mereretur.* Et Vniverſa Eccleſia in quadam Antiphona id ipſum profitetur.

Ex hac autem dignitate Matris DEI, quam ſic promeruit, & cujus ſublimitas nec

concipi

concipi poteſt. duplex adhuc Excellentia derivatur. *Prima*, quòd ratione illius dicatur & verè ſit omnium creaturarum, etiã Sanctiſſimarum, & in altiſſimo gloriæ gradu exiſtentium Regina & Domina (prout ab Eccleſia honorificè nuncupatur) ab iјſque proinde cultum & honorem tantæ majeſtati condignum recipiat. *Secunda*, quòd ratione ejuſdem Maternitatis ipſemet DEI filius illi ſe ſubiecerit, & ut teſtatur Evangeliſta, ſubditus illi eſſe voluerit.

His igitur titulis explicatis reſtat vt videamus, *Qualis cultus Sanctiſſimæ Virgini ratione tantæ & tam ſublimis excellentiæ debeatur.* Pro cujus reſolutione,

Dicendum eſt, Sanctiſſimam Virginem ſingulari & maximâ, præ omnibus alijs Sanctis Veneratione, ſeu Hyperduliâ colendam eſſe, tàm publicè quàm privatim. ita Sanctus Thom: 3. part. q. 25. art. 5. Ratio eſt, Quia veneratio & cultus, ut jam dictum eſt, Excellentiæ ac Sanctitati correſpondere debet. Atqui excellentia & Sanctitas Beatiſſimæ Virginis, omnium aliorum Sanctorum excellentiæ & Sanctitati longè præeminet, vt ex his explicatis conſtat. Ergo cultus illi debitus longè major eſſe debet eo cultu, qui alijs quibuſcumque Sanctis defertur.

Sed hîc denique *Quæri* posset, An præter cultum Hyperduliæ possit etiam cultu Latriæ exhiberi Sanctissimæ Virgini, ratione unionis illius, quam inter illam & filium ejus Christum Dominum esse concipimus.

Respondetur Negativè, cùm S. Thom. l. c. superius. Quamvis enim Metaphysicè loquendo aliquo sensu possit adorari, adoratione aliquâ respectivâ; moraliter tamen & practicè loquendo, id fieri nō debet, propter periculum Erroris & scandali. Vnde merito S. Epiphan. hæresi 78 & 79 reprehendit, & hæreseos arguit aliquas mulieres in
„ Syriâ, quæ Beatæ Virgini in signum adora-
„ tionis, libationes quasdam offerebant.

Iam verò inter plurima Cultûs ac venerationis officia, quæ universa Ecclesia Sanctissimæ Virgini in precibus Canonicis & doxologijs diurnis & nocturnis passim exhibet; cùm solemnis Antiphona dicta SALVE REGINA in ejus honorem crebrius occinatur, & per maximam anni partem Romano ritu in Officio Canonico recitetur & frequentetur: istam ego pro animi mei exili studio, explicandam & commentandā suscepi, in testimonium & meæ qualiscunq; erga Dominam Clementissimam & Sospitatricem benignissimam gratitudinis, & in argumen-

argumentum meæ debitæ innatæque mihi, quà privatæ quà publicæ devotionis.

ANTIPHONA

SAlve Regina Mater misericordiæ, vita, Dulcedo, & spes nostra salve. Ad te clamamus exules filij Evæ; ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; & IESUM benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende: ô Clemens, ô Pia, ô Dulcis Virgo MARIA.

CAPUT I.

In quo nonnulla præambula Dubia, circa explicationem antiphonæ SALVE REGINA, proponuntur?

DUBIUM I.

Quis Author hujus cantici fuerit?

AVthor hujus ſacri & pervulgati Cantici, fuit B. *Hermãnus* Contractus, Monachus Benedictinus. De quo Ioan: Trithemius libro 2. de viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti, cap. 84. his verbis.

Hermannus Monachus, qui dicebatur Contractus, natione Theutonicus, filius comitis de Veringen, Vir in omni litteratura ſeculari peritiſſimus, Philoſophus, Aſtronomus, Muſicus, & Poëta celeberrimus, ingenio ſubtiliſſimus ore facundiſſimus, Græco & Arabico inſtructus eloquio: multa volumina compoſuit, de quibus ego tantum legi.

De Muſica librum unum.
De ſex ætatibus librum unum.
De compoſitione Aſtrolabij libros tres.
De utilitate Aſtrolabij librum unum.
De ecclipſibus ſolis & lunæ librum unum.
De computo poſt Helpericum lib. 1.
De quadratura circuli lib: 1.
Legẽdas SS. pluriũ & Hiſtorias cõpoſuit.
Hymnos quoque, Antiphonas, & cantus dulces variosque edidit, quos in Eccleſia

DEI

DEI cantari ex parte conſpicimus. Hic Hermãnus compoſuit, devotam illam Antiphonam in laudem Beatæ DEI Genitricis Mariæ, videlicet SALVE REGINA MATER MISERICORDIÆ &c. quam ad ejus honorem univerſa frequentat Eccleſia. Sed & alia plura tam metro quam proſa edidit, quæ ad manus noſtras minimè venerunt. Tranſtulit etiam de Græco & Arabico multa in Latinum, quæ à multis habentur. Iſte Hermãnus Comes, ut diximus, de Veringẽ in Sveviâ, à juvẽtute ſua contracto fuit, unde & nomen ab infirmitate accepit. Cum autem Monachus factus fuiſſet, magna devotione ſeduliſque precibus beatam Virginem rogavit, quatenus eum ſuis dignaretur ſanare meritis: áquâ per viſum tale fertur habuiſſe reſponſum. Fili chariſſime tuis precibus ſedulis invitata, duorum tibi optionem impetravi, elige quod volueris, Contractus permanebis, & omnium ſcripturarum ſcientiã accipies, tam Divinarum quam humanarum: Vel Sanitatem corporis accipiens, idiota permanebis & Eccleſiaſticam Cathedram aſcendes: jam alterũ ex ijs, quod uolueris, elige, quoniam ambo habere non poteris. Hermãnus autem conſiderans, quod Regina cæli ſingulariter ſuadebat, elegit permanere contractus, & ſcientiam

entiam ſcripturarum accipere magis, quam corporis ſanitatem abſque doctrina poſſidere. Erat enim, jam tunc, licet rudis & idiota, devotus tamen, & ſcripturarum amore accenſus. Ex illo tempore in omni doctrina ſcripturarum ultra omnes contemporaneos ſuos proficiens, excellentiſſimæ opinionis vir factus eſt. Trium linguarum, Latinæ, Græcæ, Arabicæ, ita peritus extitit, acſi natus in eis fuiſſet. Vidi plures libros Ariſtotelis, & aliorum antiquorum Authorum, quos de Arabico tranſtulit in Latinum, videlicet Rhetoricam Ariſtotelis Poëſim, & de Aſtronomia, quantum ad rationem Computi Eccleſiaſtici pertinet, varia. Claruit anno Domini Milleſimo ſexageſimo. *ita Trithem.*

De eodem *B Hermanno Contracto*, in Menologio Benedictino: apud Bucelinum legitur, quod ille, Auguſtiſſimæ cælitum Imperatricis favores, prodigiosè ſibi ab eâ impetratos & datos, ut grati animi teſtificatione probaret, hoc digniſſimum, terriſque non ſolum, ſed & cælitibus univerſis jucundiſſimum melos, celeberrimum canticum SALVE REGINA à ſe compoſitum, verbiſque ac notis muſicis ſuaviſſimè inſtructum; alias etiam celebres, totoque orbe decantatiſſimas Antiphonas, ALMA RE-

DEMPTO-

DEMPTORIS MATER. & AVE REGINA CÆLORVM. Similiter illam mirabilem sequentiam VENI SANCTE SPIRITVS, & EMITTE CÆLITVS. Summo Ecclesiæ plausu excogitarit, scripserit, orbique communicârit.

DUBIUM II.

Quomodo in Usum Ecclesiæ devenerit hoc Canticum?

DEvotissimi cantici hujus usus, primum in Ordine Benedictino servatus fuit, quem postea universa recepit Ecclesia siquidem (teste Costero) omnes Episcopi & principes Ecclesiastici non solum hoc canticum, plebi suæ & subditis in Ecclesia publicè decantandum, sed & memoriæ tradendum commendabant. Donec tandem Gregorius IX. summus Pontifex præcepisset Anno 1210, ut in tota Ecclesia decantaretur ut constat ex Illescas in Pontificali Historia lib. 5. cap. 7. in fine. Innocentius etiam IV. in magno illo turbine quem Fridericus II. Imper. in Ecclesia excitaverat, remedia quærens, Clero præceperat, ut quotidie sub Completorio Canticum *Salve Regina* decantárent, Numini per Beatam

ctam Virginem Mariam propitiando: testis est Albertus Krantzjus in Saxonia lib. 8. cap. 10. & Iustinus Miechovien. super Litanias Lauret. Discursu 249. Et sic ex vi praecepti Pontificij, canitur in Romana Ecclesia finitis Horis Canonicis ab Octava Pentecostes usq; ad Adventum, apud quosdam autem, toto etiam anni spatio decantari consvevit.

DUBIVM III.

Hoc Canticum quantopere sit aestimandum?

NON solum universae Ecclesiae militanti, gratam esse hanc orationem, sed & triumphanti, ipsique DEi Genitrici acceptissimam, plures scriptores referunt.

Scribit enim Bzovius polytristor: Ecclesiae, & gentis Polonae nobilis & disertus scriptor, fuisse Basileae mulierem quandam, ex Lombardiâ oriundam, quae vidit hanc visionem dum decantabatur *Salve Regina*, Venisse scilicet Virginé, & adstitisse in loco eminenti, & quando decantabat *Advocata nostra*, flectebat genua, petens misericordiam pro peccatoribus; & quando diceba-tur, *Illos tuos misericordes oculos ad nos con-*

verte:

verte: aspiciebat illos amanter. Quando dicebatur, *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*: ostēdebat Christum quasi recens natum; & quādo cantabatur, *ô Dulcis Virgo Maria*; facta salutatione discedebat, multis cælestibus aulicis comitata.

Idem constat ex historia S. Dominici, authore F. Gerardo Frachero Lemovicensi, part. 1. cap. 7. in qua legitur cantantibus orationem *Salve Regina* Religiosis Dominicanis, apparuisse Virginem & interfuisse dum cantabantur & dicebantur verba illa; *spes nostra salve*: Salutâsse eos dulci salutatione. & quando dicebant, *Eia ergo Advocata nostra*, Inclinâsse se Virginem filio suo, atque exercuisse Advocatæ officium pro eis; & quando dicebant, *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte*, hilari vultu eos intuitam fuisse: & quando dicebant, *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*: filium suum, quem in ulnis portabat, ostendisse.

Iam verò vir pietate & doctrina celebris Martinus Navarrus Abbas Monasterij Roncæ vallis, in Manuali de oratione, cap. 19. num. 183. testatur hanc Antiphonam cælestis aulæ choraules cecinisse; *Fama est*, inquit, *sapidam illam orandi formam, salve Re-*

ve Regina, olim in nostra Ronca valle sabbatis solitam, ab Angelis cantari, apud quendam fontem quem ab illo tempore in hoc præsens, Angelorum fontem appellant.

Quin etiam magnis Gratijs & Privilegijs hæc Antiph. ornata est, inter quæ numeratur Pauli V. Pontificis maximi Indulgentia, qui omnib9 præsentibus in templo Prædicatorum, dum hæc Antiphona ab eis canitur, Ducentos dies Indulgentiarum concessit. Carmelitæ etiam postquam sacris operati sunt, hanc Antiphonã, *Salve Regina* ibidem ad altare recitare solent idque cum Indulgentia trecentorum dierum. Vnde constat, quàm male *Lutherus* hanc orationem impiam vocaverit, & crudelem ut refert Cochleus in Chronico, fol. 161. & 308 cum sit tantæ authoritatis, ut non solùm cum solẽnitate cantetur, sed etiam inter Catholicæ pietatis orationes præcipua numeretur.

DVBIVM IV.

Quam utilis sit in Ecclesia hæc Oratio?

UTilissimã esse, vel ex inde patet: quia multi à multis malis, recitando istam Orationem liberati sunt. Constat ex

varijs

varijs historijs, sed instar omnium sit histo-ria, quam refert Abraham Bzovius conc. 2. super *salve*. & ex eo Rocaful. Valenti-næ Academiæ Procancellarius 2. part. Praxis Theologicæ. Bononiæ & Lutetiæ Parysiorũ, in monasterijs S. Dominici religi-osorum, apparere solitas multas legiones dæmoniorũ, in horribilibus & stupendis fi-guris, adeo, ut religiosi cogitarent desere-re Sanctas suas ædes, propter magnas per-secutiones dæmonum: & in remedium tan-ti mali, ordinârunt cantare quotidie istâ salutarem Orationem post Completorium, & fuit tam forte remedium contra dæmo-nes, ut amplius visi non fuerint, & sæpius in majorem consolationem eorum, visa fu-erit B. Virgo, quando ista Oratio canta-batur, nec solum apparebat, sed etiam fini-tâ Oratione, dulci salutatione Religiosos salutabat.

Constat etiam utilitas aureæ hujus can-tionis, ex illo exemplo, quod continetur in speculo exemplorum, Distinct. 7. exem-plum, 44. Cum circa quandam domum so-rorum Monialium grando & magna tem-pestas sata contereret, sorores perterritæ coruscationibus, Ecclesiam intrantes, *Sal-ve Regina* Cum multa devotione cantas-verunt, Matrem misericordiæ rogantes, ut eas &

eas & terras suas quibus sustentabantur, suâ misericordiâ ac pietate servaret. Mira res, sed ab eo facta qui imperat ventis, & fulgura in pluviam facit, cum in circuitu domicilij ejus omnia sata nascentiaque, grandine contrita valde fuissent, destructæque vineæ & horti, omnia tamen, quæ illarũ sororum erant per Dei gratiam & B. Mariæ adjutorium, salva & integra remanserunt.

Cæsarius quoque lib. 7. cap. 30. scribit, Sacerdotem quendam, qui hanc Antiphonam *Salve Regina*, identidem dicebat, à timore tonitruorum ac fulminum, quibus nimis terrebatur liberatum fuisse merito DEIparæ, quæ ei ad altare oranti apparens sic eum allocuta est. Quia Antiphonam *Salve Regina* libenter ac frequenter decantas, nunquam tonitrua neque fulmina, quorum timore sæpius affligeris, te lædent. Et ex eo tempore liberatum se sensit.

Ad hæc Beatus Franciscus Assisinas, recitans hanc Antiphonã cum muliere quadam, quæ difficultate pariendi per septem dies laborabat, ubi ad illa verba, *Fructũ ventris tui*. pervenisset. mox illa sine periculo filium masculum peperit. quem etiam B. Francisco dicavit. Rutilius Benzonus in Magnificat, lib. 1. cap. 22. & Iustinus Miechovien. Discursu 249. in Litanias Lauretanas.

Pariter

Pariter, virtute hujus cantici, Canonicus quidam Regularis, in extremis vitæ cum de suâ salute valde solicitus esset, per revelationem accepit, se per recitatam à se frequenter ac religiosè antiphonam *Salve Regina*, salvandum esse: & mox quiete Spiritus acceptâ, animam DEO reddidit. Benzonus l. c.

Denique in Italia mos iste servari dicitur, ut ab omnibus hæc antiphona. *Salve Regina*, singulis dicatur diebus, cujus magnam vim in cunctis necessitatibus & adversitatibus experiuntur: refert Iusting. Miechovien. Discursu 249. Qui autem plura Miracula, quæ ad recitationem hujus Cantici evenerunt, nosse desiderat, adeat Chronicon Antonini, Cantiprat. Catechismum Historialem, & alios authores passim obvios.

DUBIUM V.

Quâ animi devotione, plerique Sanctissimi & grauissimi Viri in hoc Cantico afficiebantur?

SAnctus Bernardus Clarevallensis Abbas, melifluus Ecclesiæ Doctor, primus sit in

hoc numero: qui per quandam occasionem transiens Spirensem civitatem, cum ab omnibus devotissimus haberetur, rogatus fuit à civibus, ut eorum Ecclesiam Cathedralem inviseret, & in eâ orationem faceret: præstitit hoc Bernardus. Cum autem Clerus & universus populus decantaret istam Orationem *Salve Regina*, absolutis illis verbis, *nobis post hoc exilium ostende*: quia in ijs verbis prius terminabatur antiphona prædicta ab Hermanno composita, omnes à cantu desierant; hîc interim Bernardus, ter flectens genua, addidit tria postrema verba, O *Clemens*, ô *Pia*, ô *dulcis Virgo Maria*. in quibus flexionibus lapis pavimenti cessit, & vestigia recepit, in hujus rei memoriam tres laminas metalli in pavimento affixas, in quibus sunt inscripta, vel potius insculpta ista tria verba, quæ etiam nunc apparent in eadem Ecclesia. Et gratissima Virgo Deipara, in gratiarum actionem talium & tantorum trium Verborum, à Bernardo prolatorum, rigavit aliquando illius æstuantis labia ardore febrili perusta, suo Sanctissimo lacte ex uberibus suis emisso, ut refert Guillelmus Eysengrinus in historia Spirensium lib. 12. & est communis traditio. De qua testatur etiam Arnoldus Wion ligni vitæ l. 4. c. 105. Cochleus & Rocaful,

Hic

Hic idem Matris DEI devotissimus cultor Bernardus, aliquando imaginem Beatissimæ Virginis transeundo, usitata salutatione veneratus est eam, dicens. *Salve Regina*, ad quem Deipara Virgo. mutuam vicem in salutando referens, *Salve Bernarde*, prolocuta est, Habeturque hæc Imago in magno honore Affligenij in Brabantia in Cænobio Benedictinorum, in testimonium salutationis hujus, quæ omni dignitate sublimior est, & omnibus votis expetenda.

Magna itaque cum devotione, sæpissimè usurpare solitus erat præfatus S. Bernardus istam orationem *Salve Regina*, & quâ cordis teneritudine in Sanctam Sanctorum Virginem DEI genitricem ferebatur, eo familiariorem habuit hanc formulam colendi & salutandi dilectam DEI nostri parentem, suamque specialem Dominam & Patronam faventissimam, In cujus honorem, & ad publicam fidelium ædificationē, quatuor insignes sermones super istud *Salve Regina* composuit. Vbi in primo serm. ita hanc orationem commendat. *Dulce canticum ac nobilissimum melos, à summis labiis effusum, à Sanctis compositum, à Sanctis institutum, dignè frequentabitur etiam à Sanctis, & verè nisi à religiosis & affectione Sancta ferventibus, nec subtiliter in*

 telligi,

telligi, nec efficaciter potest decantari. Tam est suaue ad gratiam, fecundum ad sensum, profundum ad mysteria; Tale est quod à nobis considerari & discuti, prout dignum est non valeat. Ex eo autem quod suaviter sonat: mulcet affectum, & de sensuum vbertate mentem impinguat, & in Sanctam sanctorum, Advocatam scilicet nostram, dum eam quasi præsentem salutat, omnia interiora nostra medullitus inflammat. Et multa similia habet in prædictis sermonibus.

Author Kalendarij Mariani, ad diem 15 Iunij narrat, quòd cum à Sanctimonialibus caneretur *Salve Regina*, ordinariè Angelorum Reginam deambulantem in choro videre solebat B. Reparata Ordinis Minimorum, quam sic in choro sororum deambulantem varijs corporis inclinationibus & extraordinaria reverentia Reparata salutabat. Quod animadversum sæpius à Præside seu Correctrice (ut vocant) jussaque aliquando reddere facti sui & insolitæ illius pietatis rationem, urgente obedientiâ, fassa est quod erat. Migravit è corpore & superis est juncta hæc virgo 15 Iunij, non modicisque à morte claruit miraculis.

Seraphicus verò Doctor, *S. Bonaventura*, hoc itidem sacrum carmen *Salve Regina*, versibus explicavit: quos habes apud

Vincen-

Vincentium Hésbergium in *Viridario Mariano* Parte primâ.

Hvelamus Doctor Theologus, octo Discursibus, ipsum *Salve* illustravit, & amplificatum reddidit.

Franciscus Costerus pias meditationes super hoc nobilissimum canticum doctè conscripsit.

Franciscus Retza, inter alia opera, tria volumina ingentia, super *Salve Regina* in laudem Magnæ Virginis Deiparæ composuit de quo Pius, in libro de viris illustrib. ex Ord. S. Dominici.

Abrahamus Bzovius, Thesaurum laudũ Sãctissimæ Deiparæ, in hac solâ antyphona *Salve Regina*, demonstravit, in quam scribens, quadraginta Conciones evulgavit, in quibus omne ferè id, quod vel ad cultum B. V. ampliandum, vel ad hominis Christiani animum præclaris doctrinis illustrandum spectat, est complexus.

Iustinus Miechoviensis inter Discurso prædicab. super Litan. Lauret. editos, meminit ejusdem cantici *Salve*, & illud expositione pulchrâ adornavit.

Hos interim ego vidi, qui Reginæ nostræ *Salve* cultissimum reddidêre; inveniuntur autem fortassis plures, qui idem præstitêre. Cum, doctorum hominum judicio

 hoc solu

hoc solum canticum, sit tam profunda laudum Deiparæ Virginis abyssus, ut mortalium studiosa ingenia, ampliora præconia & elogia tribuere, ei quæ cælo excelsior, sole splendidior, astris cælitibusque sublimior, seu ut loquitur noster *de la Cerda*, cui palla sol, cui crepida luna, cui tutulus cumulus stellarum, præter hîc posita, non facilè inveniant. quin etiam ipsorum purissimorum Spirituum voces in celebrandis Reginæ suæ elogijs, majora non queunt personare, dum hoc carmen sæpius decantasse leguntur. Mirum esse non debet quod sincera cultorum Mariæ devotio, in hujus deliciosi Carminis commentatione non cessat laborare.

DUBIUM VI.

Quam ob rem Hæretici, hanc formulam salutandi Beatiss. Virginem, auersentur.

DIvus Epiphanius Salaminæ Episcopus & Doctor Ecclesiæ insignis, hæresi 78 contra Antidicomarianitas refert, mulieres quasdam in Arabia morantes, adeò vesanas & impias extitisse, ut simul congregatæ,

gatæ, novum & inauditum Mariæ cultum inveherent, eamque DEI loco ſibi colendam atque adorandam publicè proponerét, contra omnem Eccleſiæ morem eidem ſacrificantes. Etenim conſtituto anni die, uti etiam indicat S. Ioan. Damaſcen. currum quendam ſive ſellam quadratam ornabant, & expanſo ſuper eam linteo, per dies aliquot, panem ſive collyridem quamdam proponebant, & rem totam in Mariæ ceu Deæ nomen ſacrificando peragebant, ac de eodem pane omnes participabant. Atque hinc nata fuit Hæreſis Collyridianorum, quæ tamen penes mulieres maximè conſtitit, & ab universâ Eccleſiâ meritò damnata eſt, partim quòd Mariam loco Numinis adorarent, partim etiam, quód à mulieribus illi ſacrificaretur.

Hanc Hæreſim ſectarii moderni nobis impudenter adfingunt, dum B.V. Mariã inſtar Deæ à nobis adorari, eidemq; ſacrificiũ offerri, quod *Miſſa de Beata Virgine* nominatur, falſo cõminiſcuntur falſo inquam & impudenter; profitemur enim Mariam, eſſe creaturã, Ioachim & Annæ filiam, ſecundùm DEI promiſſionem patri & matri datam, atque ita honoratam à DEO, ut Sanctis omnibus ſit honorabilior, ipſis etiam Cherubim & Seraphim incomparabiliter glori-

ctior. Neque tamen Deus eſt Maria, aut tanquam Dea à nobis colitur: neque ei tanquam ſuperſtitioſi Mariolatræ ſacrificium offerimus, quamvis Miſſam de eadem celebremus. Quis enim noſtrum Mariæ tanquam cæleſti Numini, cui ſoli ſacrificium debitum eſt, unquam dixit aut dicit, *Offerimus tibi ſacrificium Deipara?* quamvis enim in honorem ejus Miſſam peculiarem, in quâ de Excellentijs illius honorificam mentionem facimus, celebremus, non tamen illi, ſed DEO ſoli, qui eam ita honoravit & coronavit, ſacrificium offerimus, pro gratijs illi à DEO collatis, Deum laudantes & gratias agentes, illiusq; patrocinia implorantes, ut pro nobis intercedere dignetur in cœlis, cujus memoriam agimus in terris. Et hic eſt unanimis Doctorum Eccleſiæ conſenſus.

Iam verò quod ſpectat ad Antiphonã *Salve*, in qua præclari iſti tituli, quibus Maria honoratur & nuncupatur, *Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra, advocata noſtra*, in quos tam acriter Lutherus, Calvinus, Bucerus, cum damnatâ ſuâ progenie debachantur, ut ab impio & perditiſſimo Monachorum gnatoniſmo eos inventos eſſe, ſcribere non vereantur: cum tamen à SS. Patribus ei conſignati communiter

muniter reperiantur, nihilque contineant quod Divinæ Majestati adversetur. Nugantur itaque dum asserunt, quod eam mētitis istis laudibus deformamus, Deove eripimus. quod suum est, atque Christi nudati spolijs eam ornamus, uti petulcus vitulatur Calvinus.

Sciunt enim omnes in scholis Catholicis probè instituti Theologicam Regulam hîc & alibi in similibus esse observandā, quà verissimè dicitur, & docetur Multa nomina propriè, & per essentiā, sive per excellentiam Divinis Personis competere, quæ secundariò, minus principaliter, ac secundùm gratiam, aut aliquam participationem, Sanctis in cælo, imô & nonnunquam fidelibus ritè tribuuntur, etiam ab ipsa scriptura sacra, quam ubique sectarij crepant, & ad cujus lancem omnia volunt trutinanda. Vnde licet quandoque sit eadem vocum nuncupatio, sæpe tamen earundem est significatio planè diversa, quæ à scriptura, ac fida ejus Interprete Ecclesiâ, & à SS. Patribus est petenda. Hæc igitur Regula Theologica, his Titulis Marianis & similibus adhibenda est; secundùm quam circa DEI injuriam, & Christi despoliationem, rectè Sanctissima Deipara exornatur.

Rideant itaque qui rident & rodunt

omnia

omnia quæ ad Deiparæ Virginis cultum pertinent, hujus temporis vesani sectarij, veluti novi Luciani, aut Porphyrij, Calvini & Lutheri progenies, mala ova, malorũ coruorum, Qui enim ab initio furijs agitati, in Christum salutis nostræ authorem, facto agmine & dato classico irruerunt, à Matris ejus injuriâ, nequaquam sibi temperârunt. Atque ita factum ut Mater & Filius, quibus nihil est conjunctiùs, ab eisdem etiam hostibus plerumque sint impetiti. Cujus rei testes Cerdoniani, Ebionitæ, Valentiniani, Manichæi, Collyridiani, Nestoriani, Eutychiani & reliqui id genus satanæ impij ministri & mendacij satores, atque Mario-mastyges acerrimi: quorum hæreses, Patrum diligentiâ, jam olim damnatæ & explosæ sunt. Atque unà cum ipsis novi Anti-Mariani hujus temporis, jugulati & prostrati, qui falsa dogmata jam dudum extincta & falsitatis convicta, nostro hoc sæculo in orbem revocant, & multa, acsi Luciani aut Iuliani Apostatæ essent mancipia, petulanter effutiunt.

Talis est inverecunda Calvino-Puritana Anglicorum petulantia, qui teste Locrino l. 6. c. 2, expuncto Natali DEIparæ de Kalendario, & Reginæ suæ Elisabethæ substituto, eundem solent quàm solemnissimè

quotannis

quotannis celebrare, sacro nostro Cantico *Salve Regina*, eidem sacrilegè adaptato. Talis vesania & odium plusquam Vatinianum in Deiparam, excucullati Monachi & Apostatæ sacrilegi Lutheri; Talis Calvini, anagrammaticè Luciani, lilio cauteriati & pæderotis infamissimi; Talis sacrilegè adulteri Bezæ, votorum prævaricatoris impuri Buceri, & reliquorum ejusce farinæ assectarum; qui tanto Mahumetanis ipsis in Sanctissimam Virginem contumeliosiores, quantò illi in eâdem religiosiores.

Audiatur testis irrefragabilis, & quæ oculis vidit fideliter enarrans Ioannes Cotovicus, qui lib. 3. c. 3. Itinerarij sui Ierosolymitani, hæc commemorat. *Neque Christi solùm, sed & Mariæ nomen blasphemantes, castigant Mahumetani. Sic enim lege cautum est, si quis sive Christianus sive Turca vel Maurus, vel Arabs Christum, illud Verbum Dei, quem virtute Spiritûs Sancti è Maria procreatum credimus; vel etiam ipsam Virginem, quam Deus omnibus creaturis puriorem fecit & excellentiorem, blasphemaverit, præter mulctam pecuniariam, sexaginta fustuarij plagas sustinebit. Cujus quidem legis*, inquit, *exactissima est apud Turcas observatio.* Et lib. 2. c. 16. *Mausolæum quoque Virginis, Mahumetani*

crebrò

crebrò invisunt, & precibus honorant: in summa namque æstimatione etiam Virginem Mariam habent, quam & ante, & post partum, Virginem semper permansisse constanter credunt, eamque Alcorani testimonio, tanquam à Deo electam & summis virtutibus ornatam, cunctis mundi mulieribus anteponunt, atque omni laude dignissimam fatentur.

Quid verò è contra, nostri Mario-mastyges? præter horrendas blasphemias, plusquam barbarico conatu, decretos, ac jam olim solemni ritu firmatos honores, qui Mariæ tribui consveverunt, è templis Christianorum procul exturbant; dies insuper festos Virgini Matri dicatos abrogant; nec solùm in contentionem, sed in risum etiam & calumniam ea cupidè rapiunt, quæcumque ad Deiparam cohonestandam, majorum pietas introduxit, & Ecclesiæ Catholicæ Sancta authoritas constabilivit.

At quid mirum? si enim *Draco persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.* Apocal. 12. quidni & genimina ejus eandem persequantur. Sed quo fructu? Certè non alio ab illo quem Draco reportavit, de quo scriptum Gen. 3. legimus: *Ipsa conteret caput tuum.* Ita prorsus eidem Virgini hoc epinicium occinit Ecclesia, *Gaude Maria*

Virgo

Virgo, cunctas hæreses sola interemisti &c. Itaque blasphemis suis linguis, impiisque calamis irruendo in lectissimum illud Tabernaculum, quod sanctificavit sibi Altissimus, nihil aliud profecerunt, nisi quòd Mariæ laudem & gloriam, nullis temporibus delendam, hac sua insectatione uti ampliorem atque illustriorem, ita veritatis caussam, longè quàm antea confirmatiorem, in Ecclesia reddiderint, ac sibi demum suisque nominibus turpiorem adeoque ineluibilem infamiæ notam conflârint.

DUBIUM VII.

Qualis est dispositio hujus Orationis.

HVelamus dicit, hanc Orationem per Entymema esse compositam: in Antecedente scilicet, Dignitates Mariæ & miserias nostras proponi: in Consequente, Virginis implorari compellique auxilium. Quod Entymema ad Syllogismum talem vel similem, posse reduci docet nimirum.

Quæcunque Regina misericors &c. miseros non deserit, clientes & subditos.

Sed

Sed tu es Regina misericors &c. & nos miseri
Ergo nos miseros non deseras clientes.

Hancque ratiocinandi formam, inesse huic Cantico, vel illa ipsa Illationis nota, *Eia ergo*, insinuat,

Præterea hoc artificium contineri in isto *Salve* dicit idem Hvelamus; quia communiter, ut aliquid gratiæ consequantur clientes ab eo, quem rogatum veniunt, salutare humiliter & ejus pium in se affectum collaudare solent: pariter fit in hac oratione: ut inclinetur facilius Mater miserationum ad concedendum id, quod ab ea petitur; salutatur, laudaturque, & magnæ miseriæ hominis exaggerantur, ut locum misericordiæ citius consequantur.

Denique notat solerter idem Doctor, quòd sicut ponuntur Dignitates quinque in prima parte hujus orationis, quæ sunt: *Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, spes;* ita in secundâ parte ponuntur quinque hominum miseriæ, illis contrapositæ Dignitatibus Virginis.

Primæ dignitati, scilicet *Reginæ*, opponitur *Exilium* nostrum, quia proprium est Regum tollere Exilium.

Secundæ dignitati *Mater misericordiæ*, opponitur secunda miseria quæ est; *Filij Evæ*. nam Maria est mater nostra, liberans nos à filiatione Evæ.

Tertiæ

Tertiæ dignitati, *Vita*, opponuntur suspiria nostra, quæ per Vitam, quæ est Virgo, tolluntur.

Quartæ dignitati, quæ est *Dulcedo*, opponitur *Fletus*, qui aufertur per MARIAM.

Et quintæ dignitati, quæ est *Spes nostra*, opponitur quinta miseria, *in hac lacrymarum valle*; nam per Virginem, ad cælestem patriam pervenimus, liberi ab hac lacrymarum valle.

CAPUT II.

In quo per puncta explicatur SALVE REGINA,

Textus *Salve*.

HAC voce *Salve*, Mariam tanquam præsentem salutamus, quia omnis ejus felicitas cæpit à salutatione; & quia oportet nos habere eam ubique præsentem. Sicut enim oportet Deum præsentem semper habere: ita & ejus Matrem.

Est autem *Salve*, vox congaudentis gratulátisq; de tantis donis & imméfa gloria, quam habet Virgo Sanctissima. Cùi jurè meritò congratulatur & congaudet universa

Ecclesia

Ecclesia, quia per illam, ad eam dignitatē euecta est humana nostra natura quòd nostri formā corporis salutis Auctor ex eâ susceperit; eaque felicitate donatum genus humanum, ut eam Patronam habeat, Advocatam & mediatricem apud Deum, cujus preces nunquam non exaudit pro Matris reverentia Deus Filius.

Hæc porrò ut efficax & utilis nobis salutatio sit, magnâ reverentiâ magnaque humilitate & charitate exhibenda venit.

Textus, *Regina*.

Regum progenies augusta, Regali ex stirpe David exorta Maria: Regina, quia Regi; Regum mater, sponsa, filia, cæli, terræ marisque Regina, Angelorum hominumque Domina, quam superi colunt, observant inferi, cui ancillatur terra, serviunt elementa.

Hoc nomen & officium Regni, Virgini Matri Christus Dominus communicavit; Christus inquam Deus, quem universæ creaturæ agnoscunt, venerantur, & colunt Dominum Deumque suum, cui suam felicitatem acceptam referunt, & in ejus gloriam omnia sua studia dirigunt: qui cum sit Rex Regum & Dominus dominantium, sic matri

matri ſuæ in regno ſuo ſecundas partes poteſtatis & juriſdictionis clementer conceſſit; ut jam Virgo Deipara poſt ipſum Deum ſuperior ſit omnibus Beatis, omnemque Sanctorum gloriam excellentiâ Sanctitatis ſuæ longè ſuperet; habeatque ipſa ſub Filio Chriſto, omnem ſibi ſubjectam & ad nutum parentem creaturam.

Solus Deus ſupra ipſam eſt. Quidquid Deus non eſt, ſub ipſa eſt: cujus poteſtas in cælis magna eſt & in terra, quam laudāt Angeli, colunt homines in fide ſani & devoti, & principes tenebrarum non parum extimeſcunt. Nos hanc Reginam demiſſè precemur, ut nos pro ſua clementia totos gubernet & regat.

Textus, *Mater miſericordiæ.*

MAter eſt, & in id ſedula, ut miſericordiam nobis à Filio obtineat. Quomodo vocamus fabrum lignorum, vel aurifabrum, qui in lignis vel auro verſatur, ſic indulgentiſſimæ Matris hujus tota cura eſt, in miſericordia Divina hominibus conciliandà. Cum enim duo ſint in Deo, Miſericordia & Iudicium, Iuſtitiam ſatis provocant peccata noſtra, ad Miſeri-

cordiam conciliandam hæc *Mater misericordiæ* est constituta.

Mater misericordiæ denique est, quia est Mater Christi, qui est Misericordia Dei juxta illud Psalmi 47. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Per quem Christum, cum omnis misericordia, omnis pietas, omne bonum ad nos pervenerit, rectè Beatissima Virgo appellatur Mater misericordiæ, vena gratiæ, fons pietatis, & causa nostræ lætitiæ. Quia, sicut mater est genitrix filiorum, ita Maria est, per quã omnes misericordiæ nobis obveniunt à DEO.

Textus, *Vita.*

SAnctissima Christi Mater, varijs justisque de causis Vita nostra est. Quia ex ipsa, tanquam ex Arbore vitæ, Christus Deus, fructus vitæ, nobis est natus. Sic enim verè canit Ecclesia, *Benedicta filia tu à DOMINO, quia per te fructum Vitæ communicavimus.* Est ergo propter Christum, Mater omnium Spiritu viventium; sicut Eva fuit mater omnium mortalium corpore viventium.

Est vita nostra: quia precibus auxilioq; suo vitam corporis & animi non rarò nobis impetrat & conservat, vitæque humanæ necessa-

necessaria & commoda prospicit, auget & obtinet, ac mala, incommodaq; vitæ nostræ submovet. Vel certè, qui nostrûm, vitam Mariæ moresque Sanctissimos, vitæ suæ regulam & normam proposuerit, statueritque imitandam & observandam, is ex gratiæ ejus plenitudine hauriet vitam æternam.

Itaque ad hanc vitæ Arborem accurres, ad hunc Fontem vitæ festinabis: & hinc quidem Virtutum & Gratiæ hauries vndas, illinc verò summâ fiduciâ fructum Vitæ decerpes: ipsamq; tuam Vitam Mariam rogabis, ut veræ tibi vitæ dulcedinem conservet & augeat, noxium mortis pomum, à te procul abijciat; peccatũ, quo Mors intravit in orbem terrarum, à te dispellat; & serpentis, qui esum infelicis pomi nobis persvasit, caput conterat.

Textus, *Dulcedo.*

QVia amaritudinem hujus mundi in dulcedinem convertit, multò meliùs quàm Elisæus 4. *Reg.* 2. & dulcissimũ fructũ ventris sui nobis produxit, & salutis antidotum suavissimum generi humano propinavit. Eva acerbum pomum posteritati tradidit, sed Maria suavissimum fru-

ctum, orbis delicias, panem vitæ, mundo effudit.

Dulcedo, quæ à tot ſæculis expectata, & veterum Patrum votis ardentiſſimis deſiderata, ſe nobis Matrem lectiſſimam & ſuaviſſimam exhibuit: Legis ac Prophetarum umbris finem imponens, triſtem orbem exhilaravit.

Dulcedo, quia nihil in ea amarum, nihil amarulentum, nihil auſterũ conſpicitur, tota grata & ſuavis eſt: *Favus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua*, effatum Sancti Spiritûs.

Dulcedo, quæ ſuaviſſimis ſuis moribꝰ pijſſimaque converſatione, verbis & exemplis dulcore pleniſſimis, Chriſti Eccleſiam inſtruit, ædificat & format.

Dulcedo, quæ amaritudinem peccati à nobis expellit, impetrando veniam, & dulcedinem Gratiæ inſinuat, introducendo ad vitam.

Dulcedo, quæ quotidie afflictos conſolatur, & mæſtis lætitiam præbet, aſperitatem virtutum lenit, & illa quæ duriora prius apparebant, ſuaviora reddit.

Infelix planè ac deſperandus, qui ejus dulcedinem non ſentit, qui ejus Dicta, Facta, Dotes, dolores, conſolationes & beneficia, ſenſu interno non guſtat.

Nos

Nos Dominam nostram precemur, ut mores nostros acerbos & ferinos, in humanos permutet & suaves: suaque nos ut repleat suavitate, quatenus peccatorum malitiâ depositâ, pietatem colamus, humanitatem induamus, grati amabilesque reddamur, salutem proximorum desideremus, commoda illorum promoveamus, & ad Dominæ nostræ imitationem charitatis viscera assumamus.

Textus, *Et spes nostra Salve.*

S. Bernard. Serm. 1. super *Salve*, ordinem horum elogiorum expendens, ait: *Vides sublimitatem carminis hujus; Primò, ponit vitam, quæ est in integritate virtutum; secundò, dulcedinem spiritualium gaudiorum; deinde spem infert æternorum. Omnia hæc Regina misericordiæ, Domina mundi, cælorum Imperatrix, contulit mundo; Virgo Virginum, Sancta Sanctorum, lumen cæcorum, iustorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis.*

Et S. Augustinus Serm: 18. de Sanctis, in medio serm: sic compellat anchorã humanæ spei, Deiparam. *O beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum ac lau-*

dum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito. Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares, gratiarum actiones; & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotũ reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fidâ mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus delictorum veniam, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen quicunque celebrant tuam Sanctam commemorationem. Hæc Augustinus divinissimè.

Est autem beatissima Virgo *spes nostra*, non eo sensu, quod ab eâ nobis donari petamus Gratiam divinam vel Gloriam, aut peccatorum condonationem; hæc enim sibi reservavit donanda ipsemet Deus, sicut scriptum est Psalm. 83. *Gratiam & Gloriam*

dabit

dabit Dominus. Et in meritis suæ Passio-
nis ea nobis reposuit Christus, qui est uni-
ca spes nostra, in quo omnia bona habemꝰ.
Sed quia Mariæ favore, sæpe assequimur,
quæ sine illa non largiretur Deus. Cui ni-
hil est adeò arduum, quod non Matris pre-
cibus concedat Filius. Et quia illi, qui in-
dignitate suorum peccatorum ab adeundâ
majestate deterrentur, hujus Virginis Ma-
tris favore, erigunt animum, & impetrandi
fiduciam sumunt.

Similiter, absque ulla CHRISTI inju-
ria S. Bernardus Serm. de Nativitate B. M.
V. eam esse ait, *Scalam peccatorum & totius
spei nostræ rationem, quod homo peccator
Matrem adeat, Mater filium, Filius Pa-
trem*.

Itaque Mater Christi nobis concilian-
da, ejusque implorandum auxilium. Et
multorum licet malorum nobis conscij si-
mus, divinamque metuamus iram, & se-
verum Christi judicium expavescamus:
Matris tamen precibus meritisque inni-
xi, per eam, cui Filium nihil decet ne-
gare, omnia bona, Gratiam & salutem ex-
pectemus.

Textus, *Ad te, clamamus*.

Benedi-

Benedictus Hæftenus, hæc verba, his dilatat affectibus.

Ad te: à qua non sumus alieni: Filius enim tuus, Creatione, Pater noster est: Redemptione, Dominus noster est; Humanâ naturâ, Frater noster est. Si igitur tot modis obnoxij sumus, & conjuncti Filio, utique Ad te Matrem illius Filij, merito in necessitate confugimus, tibique ut Matri communi, ob oculos ponimus calamitates miseriasque nostras.

Ad te, quia data es humano generi mediatrix ad Deum, media inter solem & lunam; Virga Iesse, radice terram attingens; summitate rami, gestans florem: felix cœli porta & ianua, quæ & nos foris & Filium intus respicis. Nihil igitur officio nostro alienum facimus, neque ab officio tuo alienum petimus, quando te pro officio Mediatricis, tibi à Filio tuo imposito, invocamus precesque tuas & auxilium imploramus.

Ad te, ut per te ad Filium perducamur. Qui enim clamant ad te, nullam Christo injuriam faciunt, quia per te ad ipsum clamant, ut sicut faciliùs vox defertur ad aurem per fistulam; ita vox nostra per te purgata atque adjuta, citiùs ad Christum deferatur. Ita ille super his verbis.

Sanctus verò Bernard. serm. 2. super
Salve

Salve, expendens verbum *Clamamus*, causam clamandi exponit dicens; *Quare non clamabimus Dominam, qui vulnera sustinemus, plagas sentimus, qui inimicis undique circumdamur, angustiati, miseriis infinitis oppressi.* &c. & postea. *Clamamus, ut nostram manifestemus necessitatem, quia clamare necessitas nos compellit.*

Porrò Clamari posse modis varijs; voce corde, opere: & voce quidem clamant etiā jumenta, qui modus clamoris, si solus adsit, parum momenti habet. Cordis clamor est efficacior, præsertim si dolore peccatorum & amore Divino exciteтur. At verò clamor operis, maximam vim habet, penetratque facillimè, quando nimirum ex DEI amore, zeloque animarum, eduntur præclara aliqua opera, ad divinam gloriam. Sicut enim magna peccata dicuntur clamare ad Deum, ita insignia pietatis officia clamant, atque in cœlos penetrant.

Textus, Exules.

Hoc Exilium est à patriâ cœlesti: quia creari fuimus cum Gratiâ in statu Innocentiæ, ex illo transferendi ad Gloriam. Vnde exules sumus, ab illa patria, ad quam jus habemus. Bernardus. *Exules à patria, exules*

xules à visione, & utinam non exules à Gratia, non exules à consolatione æternâ.&c.

In terra quidem ad tempus commorandum nobis est, propter corpus terrenum, ad cœlos autem contendendum propter animam cœlestem. Illi verò cœlestem Animam habere noscuntur, qui omnia bona sua in cœlis reposuerunt, soloque hîc corpore versantur in terris: qui divitias suas per manus pauperũ illuc præmiserunt, sibiq; magnos illic honores, hîc contempus, probraq; suscipiendo paraverunt, & laboribus molestijsque vitæ hujus dulcissimas in cœlis delicias comparârunt.

Duplices interim, qui procul absunt patriâ, inter ignotos degunt, incertisque sedibus vagantur, Exules inveniuntur. Boni scilicet, qui solo corpore exules, nihil hîc suum arbitrantur, mundum ignorare student, ingrati civibus huius mundi varijs casibus iactantur, mente interea semper in Deum fixi. Mali autem Exules, & ipsi quidem, inter ignotos procul absunt patriâ, & non mediocres subinde patiuntur calamitates in corpore, animo verò, prorsus à Deo profugi sunt, quem peccatis suis & metuunt & fugiunt, interimque vagantur ab unâ ad aliam voluptatem nullaq; in re conquiescunt.

Bonus

Bonus Exul magna cum utilitate vivere potest in hac terra peregrinitatis & captivitatis suæ, si se gerat hîc tanquam negotiator in nundinis, in quibus merces hîc tractantur, quæ in cœlis non inventæ, maximo pretio redimuntur. Ibi nulla est paupertas, nulla miseria, nullus labor, nulla poenitentia, patientia nulla, nullus Sacramentorum usus, nulla pauperibus subventio, denique nulla calamitas & afflictio, quibus in hoc sæculo abundamus. Has merces si quis sibi, itinerans in loco exilij congregaverit, ijsque onustus coelum petierit, maximum ille faciet quæstum summoq; loco erit in aula illa beatorum.

Nos decet itaque, ut in hoc Exilio positi ad patriam adspiremus, & oblatis occasionibus lucrum nobis spirituale comparemus. Ideo quippe tot malis nos Deus exules affligit, tum ut afflictionibus ad quæstū utamur, tum ut ad coelestem gloriam & hereditatem oculos convertamus.

Textus, *Filij Evæ.*

Dubitabis imprimis, quare hîc dicamur Filij Evæ, & non filij Adam. Respondet Rocaful Valentinæ Academiæ Procancellarius, quia hac oratione loquimur cum

secun-

secunda Eva, Primæ contraposita; *secundò*. ostendendum nostrum debile principium, quod fuit Eva;& ita oramus secundã Evam, ut oret pro nobis. Quia, ut canit Ecclesia, *Auctrix peccati Eva*, *auctrix meriti Maria*. *Tertiò* possumus dicere, rationem esse, quia Eva induxit Adamum ad peccandum.

Triplicia verò sunt mala, quæ ab his nascendo traximus Parentibus, Peccatum, Concupiscentia, & Pœnæ.

Peccatum Originis nobiscum attulimus in hunc mundum, nati à Deo animo alieno, voluntateque à DEO aversa, unde etiam ab Apostolo Ephes. 2. vocamur *natura filij iræ*

Concupiscentia est in nobis, omnium passionum animi dissolutio, dum contra Voluntatis imperium, rectæque Rationis judicium, variæ nos incitant perturbationes, superbiæ, iræ, luxuriæ, avaritiæ, invidiæ &c. quibus ad mala impellimur & commovemur. His tamen si obsistamus, nõ jam nos ea operari censebimur, sed quod habitat in nobis, peccatum, hoc est, *Concupiscentia* quam Apostolus propter insigné maliciã *Peccatum*, figuratè appellat, (Rom, 7.) quomodo Pöëta insignem scelestum, vocat *scelus*. nimirum, quia totius Concupiscen-

cupiſcentiæ conatus in eo eſt, ut peccemus, quæ etiam ipſa á peccato parentum duxit originem.

Pœnæ quibus naturâ obnoxij ſumus, ſunt mala omnia, afflictioneſque externæ & internæ, æſtûs, frigoris, paupertatis, morborum, denique Mors ipſa quæ per peccatum venit in orbem. Hæc omnia, naſcendo accepimus à parentibus, ut diſcamus in Natalibus non gloriari.

Textus, *Ad te ſuſpiramus*.

Suſpirium in Homine, eſt indicium bonum aliquod magnum abeſſe ei, & illud ab eo impenſè deſiderari, ſperarique & expectari; quia ſuſpirant amantes & deſiderantes.

Piè proinde Orthodoxos ád V. Matrem ſuſpirare, tanquam ad eam, cujus beneficio & auxilio, ad Chriſtum unicam ſpem noſtram, ex malis educi præſentibus, & bonis deſideratis cumulari, poſſimus. In Chriſto autem omnis noſtra beatitudo eſt, felicitas, omneque deſiderium noſtrum, & à quo ſolo, bona omnia expectamus, perfectioque vitæ Chriſtianæ dependet ab ejus deſiderio. Nam in quantum Chriſtus à nobis deſideratur & amatur

tantò

tantò ei sumus acceptiores, & ejus gloriæ capaciores. Mensura siquidem futuræ gloriæ, à charitate & desiderio accipienda est, sicut vasis capacitas à profunditate. Nullâ verò Christi injuriâ, Christianos suspirare ad Matrem misericordiæ: quia ad medicũ suspirant infirmi, ad opulentos egeni, ad potentes oppressi, tametsi à solo DEO, per istos tanquam intermedios, bona desiderata eis conferantur. Sic & nos suspiramus ad Dominam nostram, quam experti sumus, esse miserorum solatium, peccatorum refugium, captivorum auxilium, medicinã infirmorum, protectricem bellatorum, patronam universorum. Quandoquidem teste Bernardo Sancto, *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus MARIÆ non transeat.*

Textus, *Gementes & flentes.*

Gemitum voce, fletum lacrymis manifestamus. Verumque maximam habet vim ad misericordiam Christi, Matrisque ejus excitandam, qui fidelium suorum & clientum doloribus & angustijs permoventur.

Quatuor sunt mala hujus Exilij, propter quæ meritò gemendum & flendum est omni-

omnibus. *Primum*, cæterorumq; omniũ caput, est peccatũ, Deiq; offensa, quod omnium malorũ est gravissimum, talibus lacrymis deflendum, ut de nulla re æquè dolere debeamus. *Secundum* est, quod passionibus & quotidianis imperfectionibus pro fragili nostra conditione jactamur, quibus quotidie in peccata labimur. *Tertium* est, tolerantia pœnarum & afflictionum corporis, quas vel pro peccatis nostris, vel pro conditione hujus exilij ferre cogimur. *Quartum est*, abesse à summo bono, Deique præsentia & visione destitui.

Textus, *in hac lacrymarum valle.*

Suspiria, gemitus & fletus, compunctionis esse indicia S. Bernard: super Salve serm. 3. affirmat, & dicit, *In talibus suspirijs, gemitu ac fletu in hac cõvalle lacrymarum, ad te clamamus exules filij Evæ, Domina verũ, Sancta Sanctorũ, virtus nostra & refugium, decus mundi, gloria cæli præelecta ut sol, pulchra ut luna, lunaris fulgor, agnosce omnes te diligentes, audi nos, nam te Filius nihil negans, honorat.*

Ex his verbis possumus sperare, nobis adjutricem futuram Mariam: nam si dicitur Ecclesiastici 70, *Non desis plorantibus*

tibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Quis non credat, Mariam plorantibus non defuturam in consolatione, & lugentibus adfuturam? Bernardus in hæc verba, *Gementes & flentes,* dicit, *intus sumus gementes, & exteriùs flentes. in loco lacrymarum iacentes, onerati peccatis gemimus, aggravati molestijs flemus, abundantes miserijs in valle lacrymarum sumus.*

Et profectò salubriter gemunt mortales sauciati, justissimè flent spoliati, in hac lacrymarum valle derelicti: gemantq; oportet, solem iustitiæ videre desiderantes, fleant inimicis servientes, in hac lacrymarum valle tuum auxilium ò Mater piissima & benigna Domina implorantes.

Textus, *Eia ergo Advocata nostra*

Quia causam nostrá corá throno Gloriæ DEI B. Virgo perpetuò agit, & vindictá quam meremur, clementer avertit, jure *Advocata* dicitur. De qua S. Bernard. *Secura est nostra sententia, cum talem Advocatam habemus.*

Duplici verò ratione ad advocandum humano generi commovetur, tam ex parte sui, quia Regina est misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra nobis constituta media

mediatrix & donata in Dominam, ſolatiumq; noſtrum: quàm ex parte noſtri, qui & intus pleni ſumus malis, & foris circumfuſi miſerijs, quas & ab origine traximus, & moleſtiſſimè ferimus, & clamando, ſuſpirando, gemendo, lacrymando, in exilij loco deflemus. Eoq; libentiùs hoc officium Advocatæ noſtræ obit, quia noſtri vehementiſſimâ æſtuat charitate, & quia majori apud filium valet auctoritate. Proinde amans noſtri clementiſſima Mater, Filio, quibus eum caſtiſſimâ charitate lactavit, exhibet ubera? Filius Patri, quibus omnia nobis promeruit, aperit vulnera; ubi nec Pater merita Filij reicit, nec Filius affectum Matris: Nullaque poteſt eſſe repulſa, ubi tanta ſunt charitatis indicia.

Ei, itaque, nos ipſos, & cauſas noſtras humiliter commendemus, nihilque, freti patrocinijs ejus, adverſum pertimeſcamus, ſed in omnibus caſibus, ſint in manibus ejus ſortes noſtræ.

Textus, *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.*

Si volumus, ut ad nos convertat oculos, nos ad ipſam noſtros convertamus oportet. Inurbanum enim eſt, velle ut ad

nos convertat oculos, & nos nostros non convertere ad ipsam. Divus Bernard: in hæc verba scribens, duo obsecrat; *Primum est*, Non restat Domina, nisi ut illos misericordes oculos ad nos convertas. *Secundum est*, Non dubitamus Domina, quin si nostras aspexeris miserias, non possit tua miseratio retardare affectum, & facere mirabiles, nec non amabiles, illis tuis radijs oculorum effectus, quibus nos alicis ad amorem, & ad plenam ducis salutem.

Iam verò carminis hujus, ista verba singula, suum pondus & magnam emphasim habent. Dum enim rogamus, ut illos suos misericordes oculos ad nos convertat Domina, non solùm oculos, sed, *illos, illos* inquam, quorũ pulchritudo in Sacra scriptura singulariter commendatur. Illos, qui pulchritudine suâ Deum ipsum de cœlis in uterum Virginis attraxerunt. Illos, qui primi Deum incarnatum viderunt, qui soli totius infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ Christi & arcanorum ejus conscij fuerunt. Illos, inquam, oculos qui in hoc mundo proximorum miserias & defectus, libenter adspexerunt, eisque clementer opem Divinam conciliârunt. Qualem opem omnes agnoverunt, quotquot nuptijs in Cana Galileæ habitis, interfuerunt, in quibus vinum

ex aqua

ex aqua, interventu pientiſſimæ Virginis à Chriſto factum eſt. Qualem opem felix Latro dexter, expertus eſt, qui per interceſſionem cruci adſtantis Deiparæ, verâ contritione donatus, jubileum obtinuit, & paradiſum poſſedit. Qualē opē ſenſit MARIA Ægyptiaca, quæ in magnis fædiſque libidinibus annos decē & ſeptē tranſigens, multiſque alijs peccādi occaſionē præbens, per Virginis immaculatæ favorē ad pænitentiam revocata, anteactæ vitæ culpas abluit, & cœli incolatum promeruit. Qualem opem agnovit Theophilus ille, qui proprio chirographo mancipium diaboli factus fuit, ſed agente Sanctiſſimâ Matre Dei, Orco ereptus, ſuperis eſt reaſſertus.

Tantæ ſunt Virtutis, Oculi Mariæ, ut ſi noſtras miſerias reſpiciat, magno pietatis affectu ſuccurrat, peccati tenebras pellat, cateruas Dæmonum fuget, vitia mentium purget, corda congelata calore Sancto in DEI amorem reſoluat.

Textus, *Et Ieſum, benedictum fructum ventris tui.*

Qualis ſit Fructus uteri Virginalis, explicat Andreas Cretenſis in ſalutationem Angelicam ſcribens. *Fructus,* inquit, *ex*

quo ligni amaritudo dulcescit, qui expurgat humanitatem, qui vero Israeli fontes uberrimos præbet in solitudine, qui aquas amaras efficit dulces, & novum panis & vini imbrem emittit, Benedictus fructus, qui ex incorrupta uteri Virginei planta maturos racemos extulit. Benedictus fructus, ex quo fontes emanant aquæ salientis in vitam æternam. Fructus ex quo vitalis panis Dominici corporis, & salutare immortalitatis poculum conficitur. Benedictus fructus, quem omnis lingua, cœlestium, terrestrium, & infernorum celebrat triplici Sanctitate, in vna Divinitate Trinitatem indicans personarum.

Ex Maria tanquam ex Virga Iessea, fructus dulcissimus Iesus prodijt, cujus dulcedo Stephano lapides, Laurentio craticulam fecit dulcem. Præ cujus dulcedine, *ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij*: ibat Andreas ad crucem, Paulus ad gladium, Petrus ad patibulum, Ioannes ad dolium &c.

Textus, *Nobis post hoc exilium ostende.*

Grave est hujus Vitæ Exilium, cum sit locus miseriæ & peregrinitatis, de quo scriptu-

scriptura, terra deserta, & invia, & inaquosa.

Deserta, vacua habitatoribus, plena feris sylvestribus: rari enim sunt justi, improbi multi, similes brutis animalibus, lupis, leonibus, draconibus &c. pro qualitate vitiorum.

Invia, si enim mundum ipsum intueamur, nullam inveniemus viam planam, nullum iter ad cælum: omnia sunt aspera, difficilia, molesta, quia nihil commoditatis affert mundus, sed impedimenta innumera ponit & decipulas.

Inaquosa, sine spirituali dulcedine & internâ consolatione: quia consolationis omnisque gaudij locus, & tempus, offertur primò post toleratum & expletum Exilium, in quo Exilio cupit Christus imponi finem omnium malorum.

Itaque post favorem & auxilium Sanctissimæ Virginis in hac vitâ, nihil præstantiùs & utiliùs petere debemus, quàm Gloriam Dei post hanc vitam assequi: ad hanc enim conditi sumus, & ad eam omnes nostras actiones referre jubemur. Roganda est ergo Generis Humani Advocata, ut post hoc Exilium Vitæ, eum, quem olim iacentem in præsepio ostendit Pastoribus, in Bethleem tribus Magis, in templo Simeoni seni & Doctoribus, in nuptijs architriclino & invitatis, in monte Cal-

variæ, in cruce DEO Patri, Angelis & hominibus. Eundem nobis post superata exilij tædia & calamitates, postquam exuti vitâ fuerimus, dignetur ostendere: hoc est, ut suarum precum efficaciâ impetret, quatenus ad illam perennem felicitatem, patriam nostram, admittamur, & fructu ventris ejus, in quo est omnis saporis suavitas, tanquam nectare coelesti & ambrosiâ suavissimâ repleamur, saturemur, inebriemur.

Textus, *O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.*

Hæc est additio Divi Bernardi, ut supra meminimus, quà excitat Mariam, ad petitioni annuendum nostræ, tribus propositis Virtutibus ejus, Clementiâ, Pietate, & Affabilitate, quam significari plerique Doctores intelligunt per hæc verba, *O dulcis Virgo Maria.* Quod autem hæ tres Virtutes excitent Mariam ad subueniendum nobis, patet ex his, quæ S. Thom. 2.2. de istis virtutibus docet.

1. *Clementiam* enim, dicit, q. 157. art. 1. esse lenitatem superioris ad inferiorem. Regina autem nostra lenis est in ordine ad nos, Ad Clementiam idem ibid. dicit, pertinere directè, quòd sit diminutiva pæ-

va pæ-

va pænarum, quæ autem magis diminutiva pænarum quàm B. Virgo? cum id ex amore proveniat, quòd aliquis sit promptus ad diminuendas pænas, quæ autem magis amat nos, quàm Mater nostra Deipara Virgo? & ita, quæ magis clemens, quàm B. Virgo.

Nec mirum, quòd non omnes nostras pænas diminuat, nam ut docet S. Thom. cit. art. 2. ad 1. *Clementia est diminutiva pænarum secundùm rationem rectam, quando oportet & in quibus oportet*: non autem oportet semper omnes pænas, nec omnibus diminuere.

11. De *Pietate* idem S. Doctor 2. 2. q. 101. art. 1. in c. loquens ait; Sicut ad Religionem pertinet exhibere actum DEO, ita secundario gradu ad Pietatem pertinet, exhibere cultum parentibus & patriæ. In cultu autem Parentum, includitur cultus omnium consanguineorum, quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur, quòd ex eisdem parentibus & sanguine processerint, ut patet per Aristot. lib. 8. Ethic. c. 12. In cultu autem Patriæ, intelligitur cultus omnium civium & omnium Patriæ amicorum. Et ita S. Thom. Pietatem ad hos se extendere docet.

Cum ergò sicut nos sumus *coheredes Christi*

Christi, ut dicitur Rom. 8. & simus *Spiritualiter* cognati Mariæ, & spectemus ad eandem patriã, quæ est patria Mariæ; benè erit in Maria pietas erga nos. Sicut etiam docet S. Thom, 2.2. q. 121. art 1. ad 3. per Pietatem exhibet homo officium & cultum non solùm Patri carnali, sed etiam omnibus sanguine junctis, secundùm quod pertinet ad Patrem; cur non dicemus esse in Virgine Mariâ maximam Pietatem erga nos, qui ejusdem Patris sumus.

III. *Dulcem* verò Mariam, dictam à Virtute Affabilitatis existimare possumus, cùm alicubi Aristot. affabiles vocaverit dulces. Quam Affabilitatem S. Thom. 2.2 q. 114. art 2. ad 2. dicit consistere, circa delectationes in convictu, quæ ex ratione proveniunt, in quantum unus ad alterum decenter se habet. Virgo autem, ut constat ex historijs priori cap. positis, decenter se habet ad recitantes suum *Salve Regina*: cum eos dulci salutatione salutet.

Ad hæc *morũ ipsius suavitas*, quam ex Spiritû Sancti gratiâ exuberante copiosam habuit, dulcissimam jurè facit: tum quod illa maximâ dulcedine jam in cœlis abundans, non raró de abundantiâ dulcedinis suæ rigare suos cultores soleat.

IV. Porrò ultimum hujus Cantici verbum

bum MARIA, monere nos videtur, ut nihil nobis Maria chariùs, nihil conjunctius, habeamus; in illa enim habemus omne bonũ Christũ Dei filiũ bonorũ fontẽ. Christus bona concedit Matri, cui nihil potest recusare amantissimus Filius, Mater impetrat bona, nobisq; largitur. Cum igitur Mariã audimus, vel cogitamus, non eam solam menti repræsentemus nostræ, aut Filio suo orbatam, cui dictum est, *Dominus tecum*; sed eam intueamur, gestantem Filium, aut nunc in cœlis ejus dextræ adstantem, & pro salute hominum advocantem imaginemur. Hæc duo Nomina IESVS & MARIA, occupét semper cor nostrum, satient desiderium nostrum, obversentur semper ob oculos nostros: hæc duo Nomina, veluti præsentissima Numina opus est continuò vel vigilantes meditemur, vel dormientes cogitatione pensemus.

In his itaque mundi calamitatibus, & tantis Ecclesiæ angustijs, ut pijssimis oculis suis Mater dulcissima nos respicere, & quæ necessaria ad animæ nostræ corporisque subsidium fore censuerit, clementer conferre, favoremque Filij sui, qui est gaudium & lætitia nostra, qui est vita æterna, felicitas & beatitudo nostra, nobis conservare dignetur, jugiter ad eam clamemus

dicentes

dicentes *O Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.*

Clemens ut Domina, pia ut Mater, dulcis ut Virgo.

Clemens in ſubditos, pia in filios, dulcis in ſibi peculiariter devotos.

Clemens indigentibus, pia exorantibus, dulcis diligentibus.

Clemens peccatoribus & incipientibus, pia juſtis & proficientibus, dulcis perfectis & ſe aſſiduè contemplantibus.

Clemens imperando, pia liberando, dulcis ſe donando.

Clemens conſolando, pia blandiendo, dulcis oſculando.

Clemens ſubjectis, pia correctis, dulcis prædilectis.

O Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

CAPUT III.

In quo Rythmis SALVE REGINA amplificatur.

SALVE *Virgo Virginum, ſtellá matutina,*
Sordidorũ criminũ vera medicina,
Conſolatrix hominum, qui ſunt in ruina,
Obruti

Obruti peccaminū fæce draconina
REGINA Regnantium, Virgo tutelaris.
Peperisti Dn̄um Mater singularis
Sacratum Palatiū Dei tu vocaris
Divinum auxiliū nobis largiaris.
MATER ô Altissimi, Matribus prælata,
Quæ vitijs pessimæ carnis es privata,
Ad te impijssimi ob nostra peccata,
Clamamus humillimi, sis nobis placata.
Fons MISERICORDIÆ dici meruisti,
Atque Mater gratiæ, quādo concepisti.
Summū Regem gloriæ, quem post peperisti,
Largitorē veniæ mundo contulisti
VITA, via, veritas, ex te nobis nata,
At semper Virginitas restat illibata.
Quod tua humilitas fuit operata,
Nā in te divinitas mansit incarnata
DVLCEDO dulcedinis fructus benedictus
Ventris nostræ Virginis, Agnus DEI dictus,
Cuius undâ sangvinis, Homo derelictus,
Lotus labe criminis est, & dæmon victus.
ET SPES NOSTRA valida es Virgo Maria,
Virga Iesse florida (ut in Isaia)
Rore

Rore cœli madida, canit Prophetia
Pulchra ut nix candida, DEI Mater pia.
SALVE lux fidelium pulchra & decora.
Quæ es super lilium fulgens ut Aurora,
Omne quod est noxiũ tolle sine mora,
Et Dei clementiã pro nobis implora.
AD TE clamant, miseri multùm desolati
Nobis aures aperi pectoris sacrati,
Vt à fauce inferi per te liberati
Consequamur liberi regnũ Tui Nati.
CLAMAMVS devotiùs ad te suspirantes
Et affectuosiùs te pie precantes,
Dele quæ interius mala cogitantes
Gessimus, exteriùs opere peccantes.
EXVLES exilio omnes sumus dati,
Pro parentum vitio gloriâ privati,
Paradisi gaudio manemus orbati
Tuo beneficio simus reparati.
FILII suspiria edere coguntur,
Mũdi præ miseria per quã devolvũtur,
Ad damnata vitia ob quæ moriuntur
At misericordiâ tuâ fulciuntur.
EVÆ lapsus intulit damnum desperatum,
Et à nobis abstulit gaudium beatum:
Felix Eva contulit verbũ Incarnatũ,
Quod & mortem sustulit, delevit peccatum.

AD TE

AD TE clamant iugiter tibi famulantes
Et in te fideliter mortales sperantes
Iuvamē humilitertuum postulantes
Tu misericorditer exaudi clamantes.
SVSPIRAMVS fletibus pro nostris peccatis,
Et vitijs tristibus per nos perpetratis:
Sed tepiè petimus Mater pietatis
Verè pœnitentibus veniam da gratis.
GEMENTES recolimus mala anteacta
Quæ iniq; egimus, mente non coactâ
Sed in te confidimus o Virgo intacta
Quod per te intrabimus in Sanctorum Sancta.
ET FLENTES doloribus mente verecundâ
Lumē nostris sensibus infūde fecūda,
De malorum sordibus nos pia emūda,
Iunge nos cœlestibus Maria iucunda.
IN HAC valle misera multùm tenebrosa,
Hominū sunt genera plurimū fœdosa
Nam eorum corpora sunt contagiosa.
Propter facta, scelera & opprobriosa.
LACRYMARVM rivuli erumpunt ut aquæ
Quum senes & parv.li, & plebs unaquæque.
Contremiscunt singuli hostes circumquaque,
Querunt & fructus seculi trahunt usquequaque.
VALLE grandi criminū sumus circumdati
Peri-

Periculis hominum malorum vallati
Cives infernalium vocari parati,
Sed tu Virgo Virginum non sinas
nos pati.
EIA ERGO *dirige ad te nostras mentes,*
Atq; lapsos erige, conforta trementes,
Et errantes corrige, pelle affligentes,
Miseros nos dilige in te confidentes.
ADVOCATA *libera coram salvatore,*
Postulare propera, consvetoq; more
Corda rege misera, benigno favore,
Pelle mala vetera, materno amore.
NOSTRA *spes fidelium semper fuit talis*
Est & erit, omniũ Mater generalis
Vt nobis præsidium Civitas regalis
Sis, atque refugiũ in omnibus malis.
ILLOS TVOS *candidos &* MISERICORdes
OCVLOS AD *rigidos* NOS *atque discordes*
CONVERTE, *ut invidos facias concordes,*
Vtque sanes lividos, deleas & sordes.
ET *fac unigenitum* IESVM BENEDICTM
FRVCTVM *nobis inclytum pium, & addictũ*
Per quem genus perditum à dæmone
Victum
Datum ad interitũ, revixit invictũ.
VENTRIS TVI *viscera Deum portaverũt*
Et beata vbera ipsum lactaverunt,
Cui Iudæij vulnera sæva intulerunt,
Et post dira verbera, Cruci affixerũt
NOBIS

NOBIS POST EXILIVM HOC *Virgo* OSTENDE.

Iesum tuum filium, & pia impende
Tuum patrociniū, ac manū extende
Quando ad iudiciū sistemur defende

O CLEMENS *clementiâ summa bonitatis*
Veri Dei filia, flos virginitatis
Dei plena gratiâ fons humilitatis
Virginum lætitia, lampas charitatis

O PIA, *piissima Regina cœlorum,*
Camera dignissima, Regis seculorum
Virgo prudentissima, Gemma Confessorum,
Atque iucundissima laus Apostolorū

O DVLCIS, *dulcissima super omni melle*
Columba castissima, carens omni felle
Mater benignissima, iuxta nostrum velle
Cuncta mala pessima à nobis repelle.

VIRGO, *decus Virginum, corona Sanctorum*
Porta cœli liminum, gloria Iustorū
Optima sors hominum, Mater afflictorum,
Pelle sordes criminum à mente tuorum.

MARIA *ergo pia Natum deprecare*
Vt quicunque omnia hæc velit orare
Pro tui memoria ut hunc adamare.
Dignetur, & gloriâ cœlesti donare.
Amen.

DISCVR-



DISCURSUS FINALIS.

Prædeſtinationis ſignum ſpeciale eſſe probatur, filialis affectus erga Deiparam.

QVamvis Sacra Synodus Tridentina ſeſ. 6. ca. 12. apertè doceat, *neminem quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano Divinæ Prædeſtinationis Myſterio, uſque adeò præſumere debere, ut certò ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero Prædeſtinatorum: nam niſi ex ſpeciali Revelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.* Cùm teſte Spiritu Sancto per os Salomonis, *Neſciat homo utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſerventur incerta.*

Nihilominus ex Sacris ſcripturis, & SS. Patrum doctrina, permulta ſigna Divinæ Prædeſtinationis colliguntur. Vnde D. Bernard. in ſerm. 5. de ſeptuag. ait: *Neſcit homo, utrum amore vel odio dignus ſit, quia*

sit, quia in ista vita certitudinem electionis non habet, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam & indicia salutis manifesta, ut quibus certitudinem negat Deus, etiam solicitudinis vel fiduciam præstet consolationis. Itaque licet secretum prædestinationis nostræ, in abdito illo Divinæ Majestatis conclavi, seu scriniolo sit conclusum, neque dentur Patentes (ut ita dicam) Literæ curiositati nostræ; habemus tamen eximia quædam signa, quæ nobis quàm proximè demonstrent eos, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.

Inter reliqua, unum est proposito nostro deserviens, quod non ultimum locum obtinet, scilicet, filialis ergaDeiparã Virginẽ affectus, & specialis devotio. Nolim mihi tantummodo in hac assertione fidem heberi, sed universæ Ecclesiæ, quæ eidem suffragatur, ac potissimum, communi Sanctorum Patrum cætui, qui eandem Sacræ scripturæ testimonijs confirmant: quos antequam ordine commemorem, audiamus quid ipsamet Virgo B. Alano de Rupe, cultori suo eximio revelare dignata fuerit, *Secretum,* (inquit Alan. lib. de Psalt. Virg. c. 12.) *iam tibi pandam divinæ providentiæ; scias enim & securè intelligas,*

 quòd

quod & inde latè aliis patefacias, quòd videlicet signum probabile est, & propinquum æternæ damnationi, horrere & aditædiari, ac negligere salutationem Angelicam totius mundi reparativam, habentibus verò devotionem ad hanc signum est ordinationis & prædestinationis permagnum ad gloriam. Quod exemplis creberrimis confirmatum legimus, quale est hoc unicum, de plurimis, quod habetur apud Discip. exempl. 73. Mulierem, scilicet, in civitate N. fuisse peccatricem, quæ nunquam aliquid boni operis fecerat, nisi quod diebus singulis B. Virginem religiosè salutaret Angelicâ salutatione, & in uno Sabbato, ad ejus honorem, Missam unicam legi procurâsset; Quæ cùm jam morti esset vicina, ad Deiparam se convertit, dicens Domina, Regina, & mater misericordiæ, licet nunquam aliquid boni fecerim, tamen confido misericordiæ tuæ, tibique Spiritum meum commendo, Advenerunt mox horribili in specie dæmones, ut animam ejus, quasi sibi debitam, secum asportarent. Advenit & MARIA, sed jam advocata & patrona, eandem fortiùs sibi vendicans. Illi verò instanter usque repetebant, Nostra est, & nobis debetur. Quibus Mater misericordiæ. Nescitis, quia me quotidie salutavit, & ad honorem

meum

meum Missam fieri procuravit: at regerunt: Commisit plurima crimina. *Scitote* re spondit Virgo, *quia illa anima nunquam damnabitur, quæ mihi seruierit, neque ille vester unquam erit, qui animam suam mihi commendaverit.* Quibus auditis confusi dæmones aufugerunt, & Mater misericordiæ MARIA, cum peccatricis animâ coelum repetivit. Adduci hîc possent plurima consimilia exempla, sed brevitatis ergo, transeo ad Sanctorum Patrum testimonia undique seculorum, terrarum atque hominum solerter collecta.

Dic tu magne Præsul Alexandrine. cui ab immortalitate nomen est. testimonium Virgini Deiparæ? *Ista Eva nova, Maria, Mater vitæ appellatur variegataq; permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viventium.* Athanas. in Evangel. de S. Deipara.

Et tu Sancte Patriarcha Constantinopolitane, Dive Germane, testimonium dicito Virgini Matri, *Quemadmodum corpus nostrum.* (inquit serm. de Zona Virgini) *vitalis signum operationis habet, respiratio nem: ita Sanctissimum nomen tuum quod in ore servorum tuorum versatur assidué in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ, & auxi*

auxilij, non solùm est signum, sed ea etiam procurat & conciliat.

Dic etiam Deiparæ testimonium, Anglorum clarum sidus, & ordinis Benedicti-ni decus immortale Beate Anse me. Libro de Orat. ita ill. *O Maria, tu peccatorem toti mundo despectum, materno amore complecteris; nec deseris, quousq; Deus per te placatus ipsum suæ gratiæ recuperabit.* Et libro de excel. Virg. c. 6. *Velocior est nõnunquã salus invocato nomine MARIÆ, quam invocato nomine Iesu, unici filij DEI & id quidem, non ideo fit quòd ipsa maior sit & potentior, nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsũ. Sed quia filius est Iudex omnium, & discernit merita singulorum, Invocato autem nomine Matris, etsi merita invocantis non mereantur, ut audiatur; merita tamen Matris merentur, ut exaudiatur*. Et ibidẽ addit sequẽtia *Fugiat reus Iusti Dei, ad piã Matrem misericordis DEI: refugiatque reus offensæ matris; ad pium Filium benignæ matris, Ingerat se reus utriusque inter utrumque: injiciat se inter pium Filium & Matrem piæ Dominæ, parce servo matris tuæ; pia Domina, parce servo filij tui. Qui me injicio inter duas tam*

immen

immensas pietates, non incidam inter duas tam potentes severitates.

Præclarus verò Deiparæ Encomiastes Arnoldus Carnotensis, tractat. De Laudib. Virg. inquit. *Habet homo mediatorem causæ suæ Filium ante Patrem, & ante Filium Matrem; Christus ostendit Patri latus & vulnera; Maria Christo pectus & ubera. Nec potest ullo esse modo repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua disertiùs hæc clementiæ monumenta & caritatis insignia.* Exaudiet utique, adserente nostro Bernardo, Matrem filius, & exaudiet filium Pater: Cùm enim Christus diligat, & exaudiat orationes Sanctorum, multo magis Matrem suã exaudit pro peccatoribus orantẽ; ac proinde serviamus semper tali Reginæ Mariæ, quæ nõ derelinquit sperantes in se. *Neque enĩ dubium* (teste magno Augustino serm. 35. de Sanctis) *quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus, liberatis impendere suffragiũ, ideoque eam obsequio frequentemus in terris, ut illa nos sedulâ prece commendare dignetur in cœlis.*

Veni & tu in ordinem hunc, ac testimonium dicito Virgini nostræ, Florentinorum Antistes floridissime Antonine hic 4. par. t. 15. c. 14. paragraf. 7. hæc habet.

In Antiphona, Salve Regina dicimus. Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Vt enim dicit Anselmus, impossibile est quod illi, à quibus Virgo Maria oculos misericordiæ suæ avertit salventur ita necessarium, quod hi, ad quos convertit oculos, suos pro eis advocans, iustificentur & glorificentur. Quid enim? *Facta est Maria scala cœlestis,* ait Ruspensis Episc. Fulgent: serm: de laudib. Virg. *quia per illã Deus descendit ad terras, ut per ipsam mereantur homines ascẽdere ad cœlos.*

Profer etiam auream illam tuam sententiam, dignam quæ omnium fidelium cordibus inscribatur, Doctor Seraphice. *Sicut ò Beatissima, omnis à te aversus & à te despectus, necesse est ut intereat; ita omnis ad te conversus & à te respectus, impossibile est ut pereat.* S. Bonavent. spec B. Virg. c. 3.

Quid autem Gvarricus Abbas, facundus omninò Ecclesiastes serm. 1. de Assumpt. *Nullatenus autem credideris, maioris ess felicitatis & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ quàm in sinu Mariæ: cum thronum suum in ea posuerit Rex gloriæ.*

Et Phænix Theologorum Angelicus Doctor. Opusc. 8. in exposit. Angelicæ salut. *Maria sola maledictionem sustulit, & benedictionem paradisi aperuit, per quam*

& Chri-

& Christiani omnes sicut per stellam maris, ad portum æternæ gloriæ diriguntur.

Guilielmus item Parisiensium Episcopus. lib. de divin. Rhet. *Non præsumat aliquis Deũ vel Dei filiũ se posse habere propitium, qui benedictã matrẽ offensã habuerit.*

Ideo confidenter S. Ioannes Damascenus in Hym: Annunciat. Qui præcisâ ob Deiparæ cultum dexterâ gloriosus, sed ob estituram per eam é gloriosior, inquit, *Invituperabilem Deipara, spem tuam habens servabor, defensionẽ tuâm possidens, per quã tutus non timebo, persequar inimicos meos & in fugã vertam, solam habens, ut thoracẽ protectionẽ tuã, & omnipotens auxiliũ tuũ.*

Et tu sapiens Idiota, qui jam ante septingentos annos, tam honorificè de Sanctiss. Virgine scripsisti, veni, & testimonium ei dicito. *Tanta est Mariæ misericordia,* inquit lib. de contempl. Virg. c. 1. *quòd ab eâ nemo repellitur & Ipsa est Advocata nostra apud filium, sicut filius apud Patrem; imò apud Patrem & filium procurat negotia & petitiones nostras & sæpe quos iustitia Filij damnare potest, Matris misericordia liberat, quia thesaurus Domini in eius manu est, & ipsa Thesauraria gratiarum. Et sicut nemo venit ad filium tuum, nisi Pater traxerit eum; sic & quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad filium tuum glo-*

riosum, nisi tuis Sanctissimis subsidijs traxeris eũ. Trahe me torpẽtẽ ut me reddas currẽtẽ.

Sed peccabo in te & in Virginem o Mariani mellis alvearium, Sanctissime Bernarde, nisi te etiam in testem advocem, qui ejus secreta de Virgineo pectore suxisti. Dic igitur, dic Dominæ tuæ testimoniũ. *Convenienter vocatur, Regina misericordiæ,* serm. super Salve Regina, *quod divinæ pietatis abyssum, cui vult, & quando vult & quomodo vult creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinij sui suffragia præstat.*

Ac tandem perdoctus author Pomerij in suo stellario l. 12 par 2. art. 1. *Si nulla potest esse repulsa, ubi orat Maria, sequitur, quod ei servire, certissimum signum sit salutis æternæ consequendæ.*

Quæ omnia & sexcenta ijs similia, Sacræ scripturæ, testimonijs confirmari possunt, quæ in Marianis festivitatibus Sanctissimæ Deiparæ Ecclesia cõsuevit adaptare. Proverb. 8. *Beatus homo qui audit me & qui vigilat ad fores meas quotidie, & qui observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam & hauriet salutem à Domino.* & Eccl. 24 *Qui audit me nõ confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Quid est operari in Virginam* &

& quid est eam elucidare? nisi erga eam benè affici, ejus laudes & præconia celebrare? Et quid in mercedem hisce constitutum? *Vitam æternam habebunt Ponam Tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet uos anima mea.* Dicit Dominus Levit. 26. Et quod istud Tabernaculū, nisi illa, de qua Psaltes Psal. 45. *Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus.* Hoc Tabernaculum in medio nostri ponitur, quādo quasi in medio cordis nostri, devotio erga Sanctissimā Virginē Deiparā à DEO infunditur. Vnde rectè de hoc mystico Tabernaculo illud Isaiæ 4. intelligi posse existimo. *Et Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu & in securitatem, & absconsionem à turbine & à pluvia* Hæc enim omnia à B. Virgine perfrequenter hominibus præstantur, maximè autem ejus clientibus, quibus in peccato nonnunquā computrescentibus illud Salomonis ad Abiathar Sacerdotem & tyrannidis Adoniæ socium, Christus Domius d c re potuisset *Equidem vir mortis es,* 1. Reg. 2 *Sed hodie te non interficiam quia portâsti Arcam Domini Dei.* Cum enim Arca illa Testamenti Sanctissimæ Virginis Deiparæ, in qua manna verè absconditum, figuram gesserit prout latè præter alios S. Præsul Med o-

lan-

lanensis Ambros. serm. 8. Sane Arcam Domini portare nihil aliud erit; quàm affectuosam in Deiparam devotionem, verbo & opere declarare. Bone Deus! quàm multi in infernum fuissent præcipitati, nisi hanc mysticam Arcam portâssent, & ad illam, ut olim ad Noemi Arcam confugissent, quò à divinæ iræ diluvio protegerentur? *Non falso siquidem dixit non nemo.*

Si Maria non oraret; mundus totus non diu staret:

Nam offensum placat Patrem, & se nobis offert Matrem

Vt Abigail iratum David reddidit placatum,

Sic hæc Iudicem severum, Reddit mitem & serenum.

Ipsa namque est signum illud fæderis, Deum inter & homines, in generationes sempiternas, Arcus scilicet in nubibus, ut nō ampliùs terra disperdatur, sicut in diluvio. Verè Arcus fæderis, quæ genuit nobis Salvatorem & principem Pacis, qui fecit utraque unum. O quoties illud Davidicum, 1: Reg. 25 ei Christus respondet. *Benedictus Dominus Deus Isràël, qui misit hodie te in occursum meum; & benedictum eloqvium tuum & benedicta tu, quæ probibuisti me hodie ne irem ad Sanguinem, & ulciscerer me manu meâ. Ecce audivi vocem tuam &*

honora-

honoravi faciem tuam. Vade pacificè in domum tuam. Neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. Quoties, inquam, talia Matri suæ pro clientibus suis supplicanti, Christus respondet, dum elevatam ad vindictam peccatorum extendere parat dexteram?

Vnus de præcipuis Marianæ excellentiæ titulis, est, quòd vocetur *Porta Paradisi, & Ianua cœli.* Adeò ut non immeritò de illa cum Propheta Reg. Psal. 117. dicere possimus: *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam.* Esto enim verissime de se ipso Filius ejus dixerit Ioan. 10. *Ego sum Ostium,* utpote qui morte suâ, vitæ aditum nobis reseravit, Paradisi januã auratâ sanctæ Crucis clavi adaperiens, ipsa nihilominus hoc privilegium ab eodem Filio suo accepit, ut sit *Ostiolum* magnæ illius *Portæ* cœli, atque ut Ecclesia in Litanijs Lauretanis eam salutat. *Ianua cœli,* per quam *qui* ingreditur, pascua vitæ æternæ inveniet; cum ipsa suis precibus, subveniat hominibus etiam deploratissimis, ne penitus desperent, imò ut salutem consequantur. Audeo enim affirmare, neminem eorum, qui auræ favoris ejus sese commiserunt, cœlo unquam exclusum; præter eos qui aut nimiâ mentis suæ elatione, aut

ne aut immoderata animi dejectione ducti se ipsos in æternæ mortis barathrũ, seq; in ipsã inferorũ abyssũ præcipites egerũt, ipsa siquidem est *Anchora aurea*, quæ firmat & quasi adũcat spes nostras in hoc vitæ salo fluctuãtes, donec ad *portũ gloriæ* perveniamus.

Fundamentũ itaque hoc firmum stat, ingens scilicet, Prædestinationis signum esse, voluptate ac desiderio Sanctissimæ Deiparæ serviendi, trahi *Non sentis te trahi*, inquit S. August. tract. 26 in Ioan. *Ora ut traharis*. Et ex toto corde frequenter ad eam clama, *Trahe me post te, curremus in odorem ungventorũ tuorum:* & cum sapiẽte illo Idiota. *Trahe me torpentem, ut me reddas currentem*. Ait Poeta gentilis *trahit sua quemque voluptas*. Sit voluptas tua, ò homo, quæ ardenti desiderio ad Deiparam te trahat quatenus eam ames ut Matrem, venereris ut Dominam, colas ut Patronam, ad quam omnes homines refugium suum habere consueverunt, qui mẽte meliores. Orphani enim vocant eam Matrem, pupilli Nutricem, infirmi Medicam, navigantes Portum, rei Advocatã errantes Ducem, captivi Liberatricem, derelicti Præsidium, desperati spem, tribulati solatium, oppressi Adjutricem. Omnes denique ad Mariam intentos habent oculos

& ad eam recurrunt,

tanquam ad commune cœlestium thesaurorum ærarium: tanquam ad indeficientem divinæ misericordiæ canalem. Et meritò, nam teste S. Fulberto Carnotensi Episcopo, Mariano lacte porato. *Nulla potior meritis inveniri potest ad placandam iram Iudicis, quàm illa, quæ meruit esse Mater Redemptoris & Iudicis.*

Totis igitur medullis cordium, uti monet nos S. Abbas Clarevalensis, *totis præcordiorum affectibus & votis omnibus, Mariam hanc veneremur. quia hæc est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariã. Ad Patrem uerebaris accedere, Iesũ tibi dedit Mediatorem. Advocatam habere vis & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Exaudietur & ipsa pro reuerentiâ sua. Exaudiet namque Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli hæc peccatorum scala; hæc maxima mea fiducia est; hæc tota ratio spei meæ Quid enim? potestne filius repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum planè. Ceterũ quidquid illud est, quod adferre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alueo ad largitorẽ gratiæ, redeat gratia quo influxit Nec enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet. Sed tibi vehiculum voluit providere. Ideoq;*

modicum;

modicū istud quod offerre desideras gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendū tradere cura, si nō vis sustinere repulsam. Sed quia indignus eras cui donaretur: datum est Mariæ, ut per illam acciperes: quidquid haberes; quæ per hoc, quòd Mater est, genuit tibi Deum. Per hoc, quòd virgo est, exaudita est pro sua reverentiâ, in causa tua & totius generis humani: Cùm ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est. Quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.

Meritò igitur ô Maria, in te respiciunt oculi totius creaturæ. Quia licet fidelis planè & potens Mediator Dei & hominum, Homo Deus Christus; divinam tamen in eo homine reverentur maiestatem. Quia non solùm ei cantatur Misericordia, sed pariter etiam Iudicium. Iudicialem habet potestatem, siquidem Deus noster ignis consumēs est. Quid ni vereatur peccator accedere, ne si cut fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? Opus est ergo Mediatrice ad Mediatorem istū. nec alia nobis utilior, quàm Virgo Maria; cujus patrociniū tam potens est. ut verissimè S. Fulgentius 4. Mytolog. *Cœlum & terra iam dudum ruissent: si non Maria precibus sustentâsset.*

Procul

Procul igitur ab omni sincerè Christiano homine esse debet. minus benè aut religiosè erga Christi Matrem affici, Cùm vel ipsis fidei hostibus, attestantibus, reprobatæ mentis id sit indicium. Testem profero nō indoctum & rudem, sed inter, novos Ministros nobilem & excellentem qué ipsi solent admirari, quemque pro suo Episcopo habuerunt & coluerunt Basileenses. Is est Ioannes Oecolampadius. quem nihil puduit magno in precio habere Virginem Matrē, eamque præ Sanctis reliquis amare & venerari. Verùm ne quis mihi diffidat, illum ipsis loquentem in medium adducam, ut omnes in Mariana causa judicare possint. Hic itaque serm. de laudando in Maria DEO, hæc hâbet. *Rectè admonet Propheta, ut in Sanctis laudemus Deum. In quo autē plasmate tam laudādus Deus, ut in Virgine Maria, quā hodie non solùm inhabitare ceu templum Sacratissimum, sed ex ea, carne assumpta, homo fieri dignatus est? Nūquam de me, ut in Domino confido, audietur, quasi averser eam, erga quam minus benè affici, reprobatæ mentis certum existimem indicium. Et quomodo non amarem? & quis est qui non rapiatur in ejus amorem, quam Deus ipse deamat, quam venerantur Angeli &.*

Archan-

tur Angeli & Archangeli, quæ peperit Salvatorem mundi, quæ humani generis est Advocata, quæ Regina appellatur misericordiæ. Eia hortor iterum atque iterum, ut summis viribus per eam laudemus Deum quæ supra omnes, quæ Regina est omnium, quam Deus præ omnibus honoravit, cui similis non reperitur alia, Hæc furua illa sathanici domicilij lampas, Oecolampadius, cũ Ecclesiam Catholicam, excusso monastico Divæ Brigittæ habitu, deseruisset; minus ut mirari, & irasci debeant adversarij, nos in Mariâ venerandâ tam fervente, quam tantus alioquin Ecclesiæ hostis suspicit & commendat.

Sed & Martinus Bucerus, excucullatus quoque Apostata ac quasi Argentoratensium Antistes *Pius animus,* inquit, *de Maria vase tam Sancto atq; electo, ut Christũ nobis pareret, non nisi Sanctissima cogitabit.* vide Locrini, l. 1. 1. 12.

Quin & Martino Luthero ac Ioãnes Calvino Mariomastyges ãbo, deformatæ illorũ Ecclesiæ Patriarchæ, veritate cogente, honorifice interdum de Sanctissima Deipara loquuntur *Nulla mulier tam Sancta est* inquit Lutherus, *nec fuit, nec inposterũ erit, quæ fructum ventris sui benedictũ peperit: quando nulla citra voluptatem & peccatum*

eatum concipit. Calvinus autem, calculo veluti mundatus ignito: *Hodie, ait, celebrari nequit, allata nobis per Christum benedictio, quin simul occurrat, quàm honorificè Mariam ornaverit Deus, qui unigeniti Filij sui Matrem esse voluit.* Tanta vis est ecce veritatis, & tam aperta excellentia Deiparæ, ut etiam à suis hostibus laudetur, qui & ambiunt in ejus clientelam admitti, ac ejusdem cultores sese profitentur, ne penitus tanquam reprobati habeantur. Quod si hos, utpote Ecclesiæ hostes, non lubeat imitari: imitemur saltem Ecclesiæ & Deiparæ prædilectum filium S. Bonaventuram (ut infinitos alios prætercam) qui frequentissimè Deum orabat, ut donum devotionis erga Sanctissimam hanc Virginem Matrem sibi conferret, dicens: *Dulcissime IESV, dignare donare mihi misero peccatori, Matri tuæ dignè servire.*

Cæterum quia contingit nonnunquam aliquos feruentiores se exhibere in obsequijs Virgini præstandis, quàm Christo Domino, placet hoc loco apponere quod ex S. Antonino refert author Pomerij Pelbartus, ubi quæstionem hanc movet in hæc verba: *Numquid igitur peccant ij, qui videntur certè multò magis & devotiùs, B. Virginem in veneratione habere, quàm Christum*

ſtum. Nam plerique devotiores ſunt ad ieiunandum ſabbatum in honorem Virginis, & Vigilias feſtivitatum eius, atq; ad dicendum Officium Virginis ampliori reverentia, quàm faciunt in Ieiunijs & Officiis feſtivitatum Chriſti, & amplius feruent in devotione Venerationis B. Virginis, quàm Chriſti.

Reſpondeo ſecundùm prædictum Anton. in 4. par. ſummæ, Quod tales mo-veãtur ſæpè magis ex ſimplicitate, quàm ſcientiâ.

Honor enim Reginæ iudicium diligit, ut alibi S. Bern. Et eſt zelus nonnunquam, non ſecundùm ſcientiam. Vnde licet id fieri non deberet, quia tamen ſecundùm Io: Damaſcenum, *Honor Matris in Filium redundat,* patientiam habet Chriſtus hujus ſimplicitatis, inquit Antoninus. Tenemus enim regulam S. Hildephonſi, rati, *quod ſervit Ancillæ, ad Dominum quoque pertinere: quod Matri impenditur, ad Filium redundare, ac demum in Regis honorem tranſire, quod in famulatum Reginæ tranſfertur.*

Sane inſuper ac non temere credere poſſumus, Deum velle per Spiritum ſanctum inflammare plurimos ad ſuæ Genitricis devotionem ſpecialem, ut per ejus merita, ſalutem conſequantur æternam, & alij ad conſimilem pietatis affectum, illorum exemplo

exemplo inducantur. Pius namque in Matrem suam Filius, optimè novit, quòd, quidquid impenditur Matri, non nisi propter se filium ex eâ natum, impendatur. Qui enim honorificat Matrem, honorificat filium; & qui illam spernit, spernit eum, quem illa genuit; Deum scilicet verum, & Iudicem vivorum ac mortuorum, qui vindictam retribuet in hostes illius. *Omnis enim Matris iniuria, creditur esse Filii, & illius gloria, prolis honor.* Quicunque ergò curiosâ illâ & anxiâ de Prædestinationis puncto sollicitudine liberi esse volunt, & humanitus quasi loquendo, certiori signo inniti, devotionem erga Deiparam animo concipiant filialem, & operibus jugiter eam exequantur.

Votum ad B. V. MARIAM Reginam, Poloniæ.

VIrgo, Poloni, quæ magis expetis
Regina campi, quàm rutilantium
Regni Planetarum vocari,

Sarmaticæ piâ cura Gentis.
Si te ſtupendo tota Polonia
Cultu celebrat, ſi Tibi Sabbatha
Siccis in eſcis tranſiguntur,
Si placitæ reſonant Coronæ,
Si Sacra paſſim ritè Roſaria
Canuntur, hymnis mixta perennibus
Si templa toto ſparſa Regno
Nulla Tuo caruêre vultu.
Largire nobis jam bona tempora,
Scutoque magnæ protege dexteræ,
Gentemque, Regiamque mentem
Magnanimos ſtimulans ad auſus.



